



Staats- und  
Universitätsbibliothek  
Bremen

# **Staats- und Universitätsbibliothek Bremen**

**Digitale Sammlungen**

## **Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...**

**Brauer, Hermann Brauer, Hermann**

**Bremen, 1722**

**urn:nbn:de:gbv:46:1-5885**

# BIBLIOTHECA

*Historico - Philologico-*

## THEOLOGICA.

*Classis Quintae*

### FASCICULUS QUINTUS.



*BREMÆ,*

---

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

---

Typis HERMANNI BRAUERI, M D CC XXII.

Viro magnifico, summe  
venerando, excellentissimoque

**JO. GEOR-**  
**GIO PRITIO,**

Doctōri Theologiæ ce-  
leberrimo,

& post varias in aliis Academiis atque  
ecclesiis summa cum laude administra-  
tas provincias,

R. Ministerii, quod Trajecti Fran-  
corum ad Mœnum est,

cum maxime

**SENIORI,**

pietatis laude, meritorum amplitudine,  
eruditionis fama

**PERINCLUTO,**

*Notum hunc supra vicesimum*

# BIBLIOTHECAE

HUJUS

FASCICVLVM,

ut publicum exstet observantiae  
erga eum suae & voluntatis,  
& cultus

TESTIMONIUM,

EIVSQUE BENEVOLENTIAE per-  
petuitatem & sibi & operi huic  
impetret,

VOTIS PRO FORTVNATISSIMIS rerum  
ab eo publice, privatimque gerenda-  
rum successibus

SINCERE NVNCVPATIS,  
inscribit atque dedicat

EDITOR.

## Habes hic

- I. *Conradi IKENII* de *Barbaris & Scythis*, qui memorantur Col. III: 11. Epistolam! p. 767.
- II. *B. P. KARLII* de *Anti-Christo non Judaico*, ad loca 2. Theff. II: 2-8. & 1. Joh. I: 18, 22. & IV: 2-3. Dissert. p. 799.
- III. *Jo. Georgii SCHELHORNII* in quaedam N. T. loca animadversiones p. 858.
- IV. Meditationem de Abusu scripturae sacrae in assignandis Phænomenorum naturalium causis p. 877.
- V. *Stephani VITI* Schediasma, quo Augustini, Lutheri, Supralapsariorumque sententia a Manichæismi nota absolvitur p. 881.
- VI. Vitam & scripta, *Hermanni DEVSINGII*, cum ejus epistola ad T. d. H. paucis ante mortem diebus perscripta p. 925.
- VII. Relationem de colloquio, quod Goslaræ cum Christ. *Ostorodo* habitum est, auctore *C. A. HEVMANNO* p. 498.



בעיה

I.

CONRADI IKENII,  
S.T.D. & in ecclesia Brem.

ad D. Stephani Pastoris

primarii, de loco

Col. III: 11.

EPISTOLA.

S U M M A R I U M.

Occasio scriptiois §. 1. Virorum doctorum de hoc loco sententiæ examinantur. v. gr. Erasmi. Scythæ variarum virtutum laude inclyti §. 2. Salmasii. Mori. Relandi. §. 3. Cur horum sententiæ non possint locum obtinere §. 4. Erat olim triplex discrimen *Religionis. Conditionis & Sævis*. Discrimen inter Judæorum liberos & servos, §. 5. 6. Scopus Apostoli §. 6 7. Barbari hic sunt Phryges. Tibia Barbara. Buxus barbara. *Barbaricarii*. §. 8. Barbari sunt *servi*, Scythæ *liberi* §. 9. Phryges enim, qui hic Barbari dicuntur, erant *servi*. Erant enim servilis ingenii homines §. 10. Et *Conditio-*  
Class. V. Fasc. V, D d d ais

nis §. 11. E contrario *Scytha* erant *liberi*. Colos-  
 senses erant *Phryges*. Occurritur Objectioni §. 12,  
 13, 14. *Syrus* interpretatur. Non ille *Scy-*  
*thas* vocavit *Aromæos*. §. 15. *Plinius* emendatur.  
*Nomai*, *Nomades* §. 16. Conclusio §. 17.

Celeberrimo Viro  
**THEODORO HASÆO,**  
 Collegæ Coniunctissimo

S. D. P.

Conradus Iken.

§. 1.

**C**um nuper Bibliothecæ Hist. Phil.  
 Theologicæ, quam non sine insigni  
 rei literariæ incremento ador-  
 nas, fasciculum XXVI. iustra-  
 rem, dici non potest, quanto me  
 gaudio, quantaque voluptate perfuderit,  
 conspectus nondum mihi visæ dissertationis  
 Clariss. RELANDI, qua ortam ex verbis Pau-  
 li ad Coloss. III: 11. difficultatem, quæ sum-  
 mis hæcenus Viris crucem fixit, tollere con-  
 tur: qua ratione scilicet Apostolus *Scythas* à  
 Barbaris distinguere, iisdemque, ut videtur,  
 opponere possit, cum certissimum sit, solis  
 Græcis exceptis, omnes omninò populos,  
 ipsosque adeo etiam *Scythas*, Barbaros anti-  
 qui.

quitus fuisse appellatos. Etsi autem in lectione ipsa plurima inveni, scitu non minus quam nomine ac memoria Celeb. Relandi dignissima, quod ad rei tamen summam attinet, non magis ipsius, quam alius cujuscunque Viri Docti de hoc argumento, sententiæ, subscribere potui.

§. 2. Quin cuncta potiùs ea occasione, diligentius paulo expendens, omnesque circumstantias sedulo mecum reputans, incidi in aliam plane sententiam, quam, ut fidem non ita pridem datam liberem, paucis cum maximè tecum communicabo. Ut autem eò felicius procedam, breviter discrepantes Virorum doctorum, super hoc argumento sententias, unà cum rationibus quæ me ab iis diversum agunt, exponam.

Agmen ducat Erasmi illa, cujus tu quoque, Vir Celeberrime, mentionem in Analectis fecisti, qui Scytham Barbaro opponi censet, non quod is Barbarus non sit, sed quod præ hoc reliqui Barbari non sint Barbari. Idem placuit Estio, Cornel. à Lapide, Grotio aliisque, nisi quod hi Scytham Barbaro hanc ob causam non opponi, sed ab eo tantum per incrementum orationis distingui censeant. Verum licet minimè negem Scythas Barbaris annumeratos fuisse, nemo tamen hætenus ostendit, dignos eos esse, qui tantopere infra reliquos barbaros deprimantur: cum si Veterum fide standum sit, quantum virtus omni-

hus rebus anteit, tantum profectò Scythæ eos  
 omnes nominis claritate, virtutisque gloria  
 sint antegressi. Ad sapientiæ laudem quod  
 attinet, id saltem, quicquid etiam obloquan-  
 tur Morus, Scotanus atque Relandus, ex te-  
 stimoniis à Salmasio ex Herod. Justino & abs-  
 te in Anal. §. 8. ex Curtio & Origene addu-  
 ctis, manifestum est, Scythas eâ reliquis Bar-  
 baris neutiquam inferiores fuisse, sed longo  
 potius omnes post se intervallo reliquisse. Ju-  
 stitiam Scytharum digno encomio jam orna-  
 vit Homerus Iliad. S. v. 5. eos *δικαιοτάτους ἀν-  
 θρώπους* homines justissimos vocans. Con-  
 fer Arrianum de exped. Alex. lib. 4. in princip.  
 Æschylus eos appellavit *εὐνόμους*, Choerilus  
*νομίμους*, Ephorus vero affirmavit τῆ δικαιοσύνη  
*πάντων διαφέρειν* justitia omnes superare, ut  
 docuit Strabo Geogr. lib. 7. & ex eo Bochar-  
 tus Geogr. S. col. 173. seq. Eorundem fruga-  
 litatem, animi continentiam, comitatem,  
 simplicitatem atque integritatem summis lau-  
 dibus extollunt Ephorus, Strabo, Nicolaus  
 Damascenus aliique quos citat Bochartus l. c.  
 p. 174. Quanta fide fuerint in servandis fœ-  
 deribus legatus eorum testatur apud Curt. lib.  
 7. c. 8: *Jurando gratiam Scythas sancire ne credi-  
 deris: colendo fidem jurant. Græcorum ista cau-  
 tio est, qui acta consignant & Deos invocant: nos  
 religionem in ipsa fide novimus.* Fortitudine ma-  
 ximè clari erant, unde & *invicti* crediti. v.  
 Curt. lib. 7. cap. 9. Denique huc quoque  
 per-

pertinet summum illud *libertatis* studium, de quo in seqq. quod certè animi ingenui signum. Tot igitur virtutum laude inclyti Scythæ, quo jure omnium Barbarorum Barbarissimi (ut eos Grotius vocat) adpellari mereantur, non video.

§. 3. Neque tamen ea apud me tanti sunt, ut idcirco in Salmasii sententiam in *Offil. Ling. Hellen.* p. 359. seqq. cum Trierenbergio in *dissert. Tom. II. Thes. Theol. Phil.* p. 620. seqq. inserta, pedibus ire velim, qui in omnia alia abiens Scythas Barbaris opponi censet, quod omnium Barbarorum essent minimè Barbari: id enim nihil plane ad scopum Apostoli faceret, ut mox videbimus; Dein cum Scythæ ipsi populis Barbaris accenserentur, minus conveniens sane fuisset eos respectu Barbariei aliis Barbaris opponere, cum ea ipsimet non plane immunes haberentur; denique id plane repugnaret perpetuæ loquendi consuetudini, nunquam enim Veteres Barbaris eâ ratione Scythas aliosve populos minus Barbaros, sed Græcos ipsos, qui soli censebantur non esse Barbari opponere solebant, quod & ipse secutus est Apostolus *Rom. I: 14.* Alex. Morus in not. ad h. l. existimat si omninò oppositio admittenda esset, per Barbarum Judæos, per Scytham gentes intelligi posse, ut Judæus, Circumcisio, Barbarus, opponantur Græco, præputio & Scythæ. Ast qua ratione Apostolum à *ταυτολογίας* vitio

liberaremus, si eadem res ter aliis verbis præter omnem necessitatem aut emphasin re-  
teretur? Et licet Judæi aliquando Barbaris ac-  
censeantur, quis tamen vel fando unquam  
audivit, eos κατ' ἐξοχὴν, & quidem in oppo-  
sitione Scytharum idque à Scriptore, qui He-  
bræus ex Hebræis erat Barbaros appellatos, vel  
contra omnes gentes præter Judæos Scythas  
esse vocatas.

§. 4. Verum nec ipse *Morus* satis in hac sen-  
tentia videtur acquiescere potuisse: in initio  
enim annotationum observavit, minime ne-  
cesse esse aut dignum liberrimo Pauli Spiritu,  
ita librare antitheta, ut hæc duo non minus  
inter se opponantur, quam illa bina, quæ  
præcessere paria, & illud quod sequitur &c. A  
qua sententia non longe abit *Celeb. Relandus*,  
dum statuit Apostolum non tam Scythas Bar-  
baris opponere, quam ab iis distinguere vo-  
luisse, idque tribus potissimum de causis (1.)  
quòd omnium Barbararum Gentium Scythica  
esset numerosissima. (2.) Quod extra Ro-  
mani imperii fines constituta. (3.) Quod  
præ reliquis immani feritate conspicua. Sed  
nec huic calculum addere possum. Gratis  
enim supponitur Apostolum Scythas à Barba-  
ris distinguere, non illis opponere, cum con-  
trarium totius orationis cohærentia postulet,  
uti enim tam inter ea, quæ præcedunt, Judæum  
nempe & Græcum, Præputium & Circumci-  
sionem, quàm inter illa quæ sequuntur, ser-  
vum

vum scilicet & liberum, oppositionem esse nemo negabit, ita nisi turbato Orationis flumine, huiusmodi efficere verborum concursum, velimus, idem quoque in duobus hisce admittatur, necesse est. Præcipue cum id ipsa rei natura flagitet. Dum enim Apostolus in eo est, ut probet omne externum discrimen, quod olim locum habuerat, sub Oeconomia Novi Fœderis sublatum esse, aliquot exempla proponit, in illa *σχέσι* quam ad se invicem habuerant, quæque huius discriminis causa fuerat, illam autem *σχέσι* cum maxime cessare pronunciat, dicens, *Non est Græcus & Judæus &c.* Hæc igitur necessariò in illa *σχέσι*, quæ tantum intulerat olim discrimen, ut arctiorem communionem impediret, ut sibi mutuo opposita consideranda sunt. Quod cum in exemplis quæ pro contrariâ sententiâ ex Epistola ad Romanos, ad Corinthios &c. allegantur non item locum habeat, nihil ea probant. Nec quicquam juvat, quod Cel. *Relandus* tantopere urget, omissam esse copulam inter voces *Barbarus, Scythæ*, si enim idcirco hæc opposita non sunt, *deservis & liberis* ubi eadem quoque desideratur, idem dicendum erit.

§. 5. Sed quid multis? iis quæ modo diximus, recte animadversis, evidentissimum erit tam hanc quam omnes reliquas sententias scotpo Apostoli minimè satisfacere. Ad populorum enim discrimen, quod attinet nihil sanè ad rem faciebat, an *Scythæ* magis vel minus

Barbari, an reliquorum Barbarorum numero-  
 sissimi, an extra Romani imperii fines constitu-  
 ti, an denique magis efferi quam alii, nec ne.  
 De his enim nulla inter Christianos lis erat,  
 sed potius an liceret cum gentibus communio-  
 nem habere, quod cum affirmasset Aposto-  
 lus in priori membro, dicens non esse Gra-  
 cum i. e. Ethnicum aut Judæum, circumcisio-  
 nem aut præputium, decisa jam erat omnis il-  
 la quæstio. Neque est, ut quis objiciat, Apo-  
 stolum insuper Barbarorum & Scytharum  
 mentionem facere voluisse, ut eo magis pa-  
 teret, nullam omninò gentem, quamvis  
 etiam maxime efferata esset, civitatis sorte  
 amplius ab Ecclesiæ communione arceri, hoc  
 enim fuisset cum umbra certare, cum nulla  
 unquam hac de re lis quantum constat, mota  
 fuerit, vel moveri etiam potuerit: quoniam  
 non hæc aut illa gens, sed omnes promiscuè  
 nullo habito respectu majoris vel minoris fe-  
 ritatis à πολιτεία Israël exclusæ fuerant, quo  
 sublato ultro sequebatur, omnibus gentibus,  
 nullâ exceptâ, ad Ecclesiæ communionem  
 viam esse reclusam, & Tros Rutulusve fuit  
 nullo discrimine habendum. His rationibus rite  
 subductis concludimus, aliud quoddam dis-  
 crimen præter illud, quod Judæos inter &  
 Gentes intercesserat, Apostolum ante oculos  
 habuisse, & una cum priori tollere voluisse.  
 Quodnam autem sit ut investigemus, obser-  
 vandum, omne discrimen, quod stante Oe-

conomia legali locum habuit, triplex potissimum fuisse, *Religionis, Conditionis & Sexus.*

§. 6. *Religionis* discrimen Deus ipse posuerat, cum erecto cum solis Israëlitis foedere, reliquas gentes per *μεσότοιχον τοῦ Φαραύου* ab ipsorum communione excluderet. Vide *Ephes. II: Conditionis* discrimen intercedebat inter Liberos & Servos. Servos hic proprie non intelligo, qui gente Judæi erant, hi enim à liberis, si id unum excipias, quod, sexennio illo, quo serviebant, aliorum opus facere tenebantur, non multum differebant, cæterum enim leniter, ut fratres tractabantur eodemque fere in omnibus jure, quo liberi, imprimis quoad sacra gaudebant. Secus autem cum Servis ex gentibus oriundis comparatum erat. Illi licet Judæorum sacra amplecterentur & pro more recepto per Circumcisionem & Baptismum iis initiarentur, si id fieret *לשם עבודה* i. e. ea conditione ut manerent servi, vel etiam qui ex talibus nascerentur, multo deterioris conditionis, non solum quoad statum politicum vel Oeconomicum, sed & quoad ipsa Sacra, erant, quam Judæi, vel etiam Homines liberi aut manumissi, qui relicta superstitione in Judæorum castra transirent. Tales enim servi *יצאו מכלל נויים ולכלל ישראל לא באו* exeunt è numero Gentium, sed ad consortium Israëliitarum non accedunt. Ut ex *Sanhed. fol. 58. b. & Maim. Issure. Bia. cap. 12. & 13.* docet *Selden.*

den. de jur. N. & G. lib. 2. cap. 4. p. 172. Idem apud ipsas gentes in usu fuit. Licet enim in nonnullis sacris, ut in *σεφανεφορῆσι* Liberi & Servi eodem jure gauderent, ut ex Scholiast. Aristoph. in Plut. v. 21. rectè ad hunc locum monuit Morus, alia tamen quàm plurima erant, quæ Servis plane exclusis à solis liberis atque ingenuis celebrabantur. Talia erant Junonis in insula Co, ut ex Macareo docet Athenæus lib. 6. p. 262. *Ὅπου τῆ Ἥρας θύωσιν οἱ Κῶοι, οὔτε εἰσεῖσιν εἰς τὸ Ἱερὸν δούλων, οὔτε γέυεται τῶν παρεσκευασμένων.* *Quum Coi sacrificant Junoni, neque servus templum ingreditur, neque quicquam gustat ex iis, quæ appparata sunt.* Idem ib. p. 263. de Phorbantis sacrificio agens, *ἐλεύθεροι γὰρ, αἰτ, εἰσὶν οἱ διακονῶντες, δούλω δὲ προσελθεῖν οὐκ ἔστιν ὄσιον.* *Liberi enim sunt, qui ministrant, servo autem ne accedere quidem fas est.* Idem apud Athenienses, cum rem divinam furiabus facerent, & apud Æginetas Monophagos in usu fuisse observat Casaub. ad Athen. lib. 14. Animadv. cap. 10.

*Sexus* discrimen mares & fœminas spectabat. Illorum enim præ his multo potiores in quam plurimis etiam in ipso cultu sacro partes erant. Quæ cum hujus loci non sint, lubens prætereo, ea quæ hæcenus dicta sunt ad scopum propius relaturus.

§. 7. Scilicet cum per suavissimum Evangelii præconium, ex omnibus promiscuè gentibus populus ad arctissimam mutui amoris com.

communione ejusdemque juris atque privilegiorum fruitionem vocaretur, difficultas oriebatur an hæc communio eò usque extendenda esset, ut omne quod hæctenus viguerat, discriminem tolleretur. Cum autem hæc quæstio non levis sæpe in Ecclesia turbas excitaret, Apostolus eam aliquoties in Epistolis solvit, ostendendo **N.** abrogato jam fœdere Sinaitico, quod cum solis Israëlitis erectum fuerat, ruptoque intergerino pariete Judæos & gentes in unum corpus redactos esse, omneque adeo inter illos in posterum discrimen cessare. v. Ephes. 2. & passim.

2. Ad servos & liberos, quod attinet, docuit relationem, quæ inter illos in statu Politico & Oeconomico erat, quidem manere. vid. 1. Cor. 7: quoad sacra autem omnes qui Spiritus Christi participes sunt per eum factos esse liberos, adeoque inter se mutuo ut fratres & æquales considerandos. v. 1. Cor. 7: 22. 2. Cor. 3: 17.

3. Idem de Viris & fœminis, excepto publico docendi munere, à quo has excludit, 1. Cor. 14: 34, 35. censuit. Unde tribus hæc simul junctis, *ἁέσιν* quæ hæctenus inter eos in sacris fuerat, indeque ortum discrimen plane jam cessare pronunciat Gal. 3: 28. *οὐκ ἐνὶ Ἰουδαίῳ, οὐδὲ Ἑλλην. οὐκ ἐνὶ δούλῳ οὐδὲ Ἐλεύθερῳ. Ὁὐκ ἐνὶ ἀρσεν καὶ θῆλυ. Πάντες γὰρ ὑμεῖς εἰς ἓσε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ: Non est Judeus neque Græcus: non est Servus neque liber: non est*  
*mas*

mas neque scemina: Omnes enim vos unus estis in Christo Jesu. Nonnunquam autem priora duo, quod de iis præcipue ut videtur, disceptaretur, tantum tangit ut I. Cor. 12: 13. *Καὶ γὰρ ἓν ἐνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἓν σῶμα ἐβαπτίσθημεν. εἴτε Ἰουδαῖοι, εἴτε Ἕλληνες, εἴτε δοῦλοι εἴτε ἐλεύθεροι.* Etenim nos in uno spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus: sive Judæi sive Græci, sive servi sive liberi. Idem quoque heic loci fieri existimo, idque ea ratione, ut prius utrumque in exemplo proponat, dein distinctius explicet, atque adeo integrum comma bimembre tantum sit. Sic primo Græci i. e. Ethnici & Judæi mentionem facit, inter quos religionis discrimen intercedebat, ut ipse Apostolus indicat, quando statim addit *περιτομὴ καὶ ἀκροβυστία.* Circumcisio & præputium. Hæc enim non diversa esse ab antecedentibus, sed indicare tantum in quo differant Judæus & Græcus, manifestissimum est, quia uti circumcisio in genere non solum fœderis gratiæ, sed & in specie legalis quod cum solis Israëlitis erectum, symbolum, ita commune Judaismi *κεπήλιον*, ut præputium contra ethnicismi erat, atque ea de causa circumcisus Judæum, præputiatus autem ethnicum notabat. v. Act. 10: 45. 11: 2. Rom. 3: 29, 30. Gal. 2: 7, 8, 9, 12. & passim.

Quod & plerique Interpretes agnoverunt, & ipse imprimis Celeb. Relandus his verbis quæ occurrunt §. 3. *Prima fronte id quidem ita*  
vi.

videtur, quum in quatuor partes videantur hæc dividi oportere, sic us primam constituent *Judæus* & *Græcus*, alteram circumcisi & non circumcisi, tertiam *Scytha* & *Barbari*, quartam denique liberi & servi. Verum nihil est quod nos credere jubeat, eodem modo hæc quatuor, *AUT TRIA VERIUS (QUONIAM CIRCUMCISI ET INCIRCUMCISI NOTARE VIDENTUR ILLOS, QUOS JUDÆOS ET GRÆCOS APPELLAVERAT)* &c.

§. 8. Neque est ut quis cum Trierenbergio objiciat circumcisionis vocem latius patere, quam nomen Judæi, cum præter Judæos etiam Colchi, Ægyptii atque Æthiopes circumcisi sint; horum enim omnium circumcisio nulla plane erat, ipsique eodem numero ac præputiati habebantur. Hinc si quis ex circumcisis istiusmodi gentibus Judæorum sacra amplecteretur, cum amittere denuo non posset, quod semel jam resectum erat, פריעה tamen seu scissionem quandam cuticulæ, quæ circumcisionis vicem sustinebat, subire cogebatur, ut sanguis fœderis eliceretur, ut pluribus docuit Selden. de jure N. & G. lib. 2. c. 2. p. 140. & Wagenheil. Sota p. 199. & 271. Hoc pacto si duo priora oppositorum paria, non à se invicem distincta, sed *ισοδυναμούντα* sint, sequæ mutuo explicent, orationis flumen & *συνάφεια* postulat, ut sequentia eadem ratione accipiantur, novumque adeo oppositorum par, primo in exemplo proponatur in verbis, Barbarus, Scytha, dein addita

oppositionis ratione explicetur, per voces Δοῦλος, Ἐλεύθερος, Servus, liber. Saltem nemo negare poterit, hoc maxime conveniens esse, si omnes circumstantiæ, id non solum permittant, sed & ultro flagitent. Quod, nisi me omnia fallunt, mox dicenda extra omnem dubitationis aleam ponent.

§. 9. Quem autem Apostolus hic per Barbarum intelligat non admodum obscurum esse poterit, si attendamus, eum à Scythia non solum distingui sed & eidem opponi: lege enim oppositionis per Barbari vocabulum æque ac per alterum Scythæ, gens quædam seu populus indigitari debet, & quidem talis, cui illud κατ' ἐξοχήν & veluti nomen proprium competat, ita ut ea ratione, etiam à Scytharum gente, quæ alias quoque Barbara, ut supra plus semel monuimus audit, recte distingui possit. Quod dum perpendo, nullam invenio gentem, cui hæc appellatio, quæ cæteroquin pluribus populis adhæsit, priva atque propria fuerit, præter gentem Phrygum. Phryges enim sæpissime & κατ' ἐξοχήν Barbari nominantur. Apud Euripid. nihil frequentius, ut in Hecuba v. 328. ubi Ulysses ita Hecubam (Trojanam seu Phrygiam) alloquitur.

Οἱ βάρβαροι δὴ μήτε τοὺς φίλους φίλους  
ἠγείσθε, μήτε τοὺς καλοῦς πεδινηκότας  
θαυμάζετε.

Vos BARBARI neque amicos, amicos  
Reputatis, neque honeste mortuos  
Admiramini.

& in Orestev. 485.

Βεβαρβαρισσὺν χρόνῳ ὦν ἐν Βαρβαροῖς

Barbarus factus es, diu degens inter Bar-  
baros.

In hunc quoque sensum titulum libri Ari-  
stotelis, qui inscribitur νόμιμα βαρβαρικά in-  
terpretatur Scaliger ad Varron. de Ling. Lat.  
lib. 6. p. 142. „Quare, ait, in barbaricis insti-  
tutis & legibus Præficarum meminit Aristo-  
teles? Quia Phryges propriè dicuntur  
BARBARI, eorum autem inventum Præficæ  
& Nænia. Idem apud Latinos Scriptores  
locum habere docuit Turneb. Adv. lib. 5.  
Adv. cap. 25. In illo autem versu Lucret.  
lib. 2.

*Jam tibi Barbaricæ vestes Melibæaque  
fulgens.*

„Barbaricæ vestes Phrygiæ intelligendæ  
sunt, unde & Barbaricarii in jure civili: nam  
Barbarum pro Phryge dici est frequentissi-  
mum, & lib. 9. cap. 18. Cum ex antiquo  
poëta affertur astante ope Barbarica, barba-  
ricum interpretor Phrygium, ut fit stante  
Phrygum imperio. Sic apud Horat. lib. I.  
Ep. 2.

Gracia

„*Græcia Barbariæ lento collisa duello.*

„i. e. Phrygiæ & apud eundem *Epod. Od. 9.*

„*Sonante mixtum tibiis carmen lyra*

„*Hac Lydium illis Barbarum.*

„i. e. Phrygium. & apud Maronem 2. *Æneid.*

„*Barbarico postes auro Spoliisque superbi*

„i. e. Phrygio.

Sexcenta alia his nullo negotio addi possent. En pauca de multis! *Propert. lib. 3. Eleg. 6. v. 31. Hæctora vocat barbarum:*

Dum vincunt Danaï, dum restat *Barbarus Hæctor*, qui tamen Phryx erat, & diserte vocatur *Euripidi in Oreste v. 1480. Ἐκτωρ ὁ Φρύγιος.*

*Catull. de nupt. Pel. & Thet. tibiam Barbaram* appellat, quam *Tibull. lib. 1. Eleg. 4. v. 64. & lib. 2. El. 1. v. 86. Phrygiam.* Eadem quia ex buxo conficiebatur *Val. Flacc. lib. 3. v. 231. barbara buxus* audit:

*at barbara buxus,*

*Si vocet Ἔμοτις ululantia Dindyma sacris.*

*Virgilio autem Æneid. 9. v. 619. buxus Berecynthia* à Berecyntho monte Phrygiæ. vid. *ib. Taubm.*

Quos *Virg. Æneid. 2. v. 276. Phrygios ignes* vocat *Ovid. Metam. 14. appellat ignem Barbarum*, quamvis *Heinsius* ibi legat *Dardanum.*

*Idem Virg. Æneid. 2. v. 777.*

*Pictus acu tunicas & barbara tegmina crurum,*

rum, ubi recte Taubm. *Barbara, Phrygia*, nam *Phryges olim vocabant Barbaros*.

Huc quoque facit, quod cum talium tegmi-  
num aliorumque vestimentorum acu picto-  
rum conficiendi ars apud Phryges præcipue  
vigerit, ii qui eam exercebant, non solum  
Phrygiones dicti sunt, ut docuit Serv. ad  
*Æneid.* 3. v. 484 sed & *Barbaricarii*, ut monet  
Taubm. l. c. Adv. lib. 5. cap. 25.

§. 9. Hoc itaque sensu si vox *Barbarus* heic  
loci sumatur pro *Phryge*, nulla in oppositio-  
ne ipsa amplius supererit difficultas, cum  
Gens Genti, *Phryx Scythæ* rectissime oppo-  
ni possit. Nec objiciendum cum *Scotano* in-  
auditam plane esse *Scytharum & Barbarorum*  
oppositionem, etsi enim id, ubi *Barbarici* ha-  
betur ratio, libenter concedimus & supra ipsi  
monuimus, nihil tamen obstat, quo minus  
alio respectu, quo à *Phrygibus* seu *Barbaris*  
κατ' ἐξοχήν ita dictis differunt, iisdem oppo-  
nantur. Et licet talis locutionis nondum al-  
latum sit exemplum, non sequitur nullum  
plane exstare. Opportuno incidi in locum  
*Arriani de exped. Alex.* lib. 4. p. 246. edit.  
*Blancard.* ubi eadem ratione *Scythæ Barbaris*  
*Asiaticis*, inter quos non postremi erant *Phry-*  
*ges*, opponuntur, dum *Scythæ* hæc in *Ale-*  
*xandrum* probra jaciunt: οὐκ ἂν πολήσαντες  
Ἀλέξανδρον ἀψαθαι Σκυθῶν, ἢ μαθόντα ἂν ὁ, π  
περ τὸ διάφορον ΣΚΥΘΑΙΣ τε καὶ τοῖς ἈΣΙΑΝΟΙΣ  
ΒΑΡΒΑΡΟΙΣ. i. e. ex vers. *Vulcanii*: non au-

dere *Alexandrum cum Scythis congregari, aut* <sup>¶</sup>  
*faciat experturum, quantum inter SCYTHAS &*  
*BARBAROS ASIATICOS intersit. Quodnam*  
*autem illud sit in quo heic loci sibi mutuo op-*  
*ponentur si quæras? pro me respondebit ipse*  
*Paulus, quando Phryges s. Barbaros statim*  
*vocat servos, Scythas vero liberos.*

§. 10. Cujus rei ratio facile patefcet, si  
 utriusque gentis indolem atque fortunam in-  
 spiciemus propius. Ad servitutem, quæ  
 Phrygibus tribuitur, quod attinet, in ante-  
 cessum, observari velim, duplex, auctore  
 Aristotele Politic. lib. I. c. 5. & 6. esse servo-  
 rum genus, alterum eorum qui φύσει seu na-  
 tura, alterum qui κατὰ νόμον seu secundum  
 legem, servi sunt. Per naturam servos intelli-  
 git, qui præter corpus ad servitutem præ-  
 standam opera servilia aptum, mentem quo-  
 que nacti sunt servilem, atque adeo  
 servitute non solum digni, sed ad eam quasi  
 nati: per servos κατὰ νόμον s. secundum le-  
 gem, illos, qui reapse aliorum imperio sub-  
 sunt, sive ea conditione digni sive indigni  
 sint: quod pluribus ostendit Heinſius in Erud.  
 Epist. ad Georg. Richterum data, quam variis  
 suis lectionibus inseruit Rutgers. lib. 4. cap. 3.  
 pag. 318. seqq. Quæ cum in finem ob-  
 servamus ut ostendamus, utroque sensu at-  
 que adeo in omni emphasi Phrygas servos ap-  
 pellari recte potuisse.

Natura (A) servi erant, utpote servili ad-  
 modum ingenio præditi, quapropter eos Ser-  
 vita.

vitute dignos pronunciat Iphigenia apud Euripid. in Iphigen. in Aulid. v. 1400. qui locus eo magis notandus, quia ibidem æque ut heic apud Apostolum, Barbarorum nomen gerunt:

Βαρβάρων δ' Ἑλλήνας εἰκὸς ἄρχειν αἰλ' οὐ Βαρβάρους

Μῆτερ. Ἑλλήνων τὸ μὲν γὰρ δούλον οἱ δ' ἐλεύθεροι.

*Barbaris autem Græcos æquum est imperare, non Barbaros.*

*Græcis, Mater: Barbari enim (natura) servi, Græci vero liberi.*

Imo hic servilis Phrygum animus apud Græcos in Proverbium abiit. Φρύξ ἀνὴρ πλαγίς ἀμείνων καὶ διακονέστερος. *Homo Phryx verberibus cæsus melior & promptior.*, ut docet Suidas in voce Φρύξ, & Cicero pro Flacco cap. 27. Utrum igitur nostrum est, an vestrum hoc proverbium, *Phrygem plagis fieri solere meliorem?* huc facit & alterum illud: *Sero sapiunt Phryges*, de quo vid. Manut. ad Cic. 7. ad fam. Epist. 16: Neque alia de causa erat, quod ad arma tractanda, quod proprie ingenuorum hominum atque liberorum est, inepti haberentur. Quo respicit Pylades apud Eurip. in Oreste v. 1110. seqq. ubi cum de nece Helenæ cum Oreste consultaret, hic autem objiceret, difficiliorem ejus executionem

fore, quod Helena haberet βαρβαίρους ὀπάδους,  
Barbaros (i. e. Phrygios) ministros, respon-  
det :

Τίνας; Φρυγῶν γὰρ οὐδεν' ἄν τρέσαιμι ἐγώ.  
Quos? Phrygum enim neminem ego metuo;

& paucis interjectis, hanc addit rationem  
οὐδέν τὸ ΔΟΥΛΟΝ, πρὸς τὸ μὴ ΔΟΥΛΟΝ  
γένεσθαι

*Nihil est servile genus, ad non servile.*

idem innuit Electra ib. v. 1351.

οὐνεκ' ἄνδρας ὄγ' φρῦγας κακοῦς  
Ἑυρῶν, ἐπαρξεν οἷα χρὴ παρῆσσειν κακούς.  
quia Viros non ignavos Phryges

*Inveniens, passus est ea quæ oportet pati malos.*

vide id genus plura v. 1425. seqq. & 1483.  
seqq. Hoc quoque Æneæ & comitibus acer-  
be exprobrabat Rémulus, eos præterea mayo-  
ris contumeliæ causa, ne Phryges quidem,  
sed Phrygias vocans, apud Virg. Æneid.  
lib. 9. v. 617. seqq.

*O vere Phrygiæ, neque enim Phryges ite per alta  
Dindyma,*

*- - - Sinite arma Viris & cedite ferro.*

vid. & Donat. ad Virg. Æneid. lib. 7. v. 430. &  
Cerd. ad. 11. 403. quin & timidissimi habe-  
bantur, ut docet Serv. ad Æn. 1. 468. & Ter-  
tull. de anima: tamen vulgata jam est res gen-  
tilium proprietatum: Comici *Phrygas* timidos  
illudunt.

Quid

Quid quod in genere ideo Phryx ponebatur pro homine vili atque contempto, ut videre est apud Cicer. lib. 3. ad Fam. Ep. 10. *Quibus temporibus hæc in eo gravitas, hæc animi altitudo fuit: non modo ut PHRYGI alicui aut Lycaoni, quod tu in Legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum malevolis de me sermonibus crederet.* & Curt. 7. 11. ubi narrat Belonem inter alia crimina objecisse Philotæ: Ludibrio ei fuisse rusticos homines, *Phrygasque & Paphlagonas* appellatos.

§. 11. Tali (B) ingenio dignam quoque experti sunt conditionem; si enim ulli unquam alii populi, Phryges sane servitutem eam, quam Aristoteles κατὰ νόμον vocat, servierunt.

Univerſam eorum gentem quod attinet, fere ſemper ea alieni domini jugum paſſa eſt. Jam inde ab antiquiſſimis temporibus à Nino ſubactam ſcribit Diodorus, quod tamen repudiat Reinecc. hiſt. Jul. Tom. I. p. 159. & p. 168. Amazonibus poſt vectigalem fuiſſe aſſerit Suidas in voc. Ὀρφεὺς βασιλεὺς Θρακῶν. Et licet deinceps aliquo tempore Phrygia, in varia regna diviſa, ſuis gaviſa ſit regibus, tandem tamen à Cræſo ſubjugata in Lydorum poteſtatem venit, ut narrat Herodot. lib. 1. c. 28. Cræſo autem à Perſarum rege Cyro victo in provinciæ formam redacta eſt, ut teſtatur Xenophon Cyrop. 2. 7. Nec deinceps genti *libertas* aut *princeps indigena* unquam re-

diit. ut affirmat Reinecc. l. c. p. 160. Hinc etiam apud Liv. lib. 37. c. 55. & 56. & lib. 38. c. 39. inter illas regiones recensetur quæ Atalio stipendiariæ fuerant, quasque idcirco in posterum Eumeni vectigal pendere Populus Romanus voluit.

Hujus indolis fortunæque cum esset Phrygum gens, minime mirum tot inde privata mancipia prodiisse, & per universum pene terrarum orbem divendita fuisse, ut ubique fere servorum Phrygiorum mentio fiat, & quod magis est, servi plerumque, imprimis autem apud Vett. Comicos Eupol. Cratinum, Aristoph. aliosque nominibus Phrygiis, & nunquam nude Phryges appellentur, ut docet Salmaf. Exercit. Plin. p. 559. vide Aristoph. in Vespis v. 431. & confer Strab. Geograph. lib. 7.

Imo inter aliarum gentium servos, Phrygii nomen adepti erant; Unde ad hæc Virgilio verba Æn. 2. 580.

*Iliadum turba & Phrygiis comitata ministris,*  
observat Taubmanus, alludi ad Romanorum morem, quibus familiari in usu erat servitium operaque Phrygiorum mancipiorum, ut inter cæterarum gentium delicatissimorum & peritissimorum. Hinc & cariori pretio vendebantur, quo respicit Juvenal. Sat. XI, v. 147.

*Non Phryx aut Lycius non à Mangone petitus.*  
Nec prætereundum, quod narrat Athenæus

naeus Deipnos. lib. 14. p. 624. Quoniam modorum harmonia, quam artis Musicae periti, Phrygiam vocabant, apud Phrygas reperta iisdemque usitata praecipue fuerit, idcirco καὶ τοὺς παρὰ τοῖς ἔλλησιν αὐληταὶς ΦΡΥΓΙΟΥΣ καὶ ΔΟΥΛΟΠΡΕΠΕῖΣ τὰς προσηγορίας ἔχουσιν, tibi- cinum appellationes apud Graecos *Phrygias* atque *serviles* esse.

§. 12. Quibus omnibus rite perpensis, uti neminem superfuturum credo, qui non mecum agnoscat Phrygas summo jure *servos* appellari, ita sequentia aequa iudicii lance ponderanti non minus manifestum evadet, Scythas suo quodam merito *Liberorum* titulo superbire. Si enim ulla unquam in orbe terrarum gens existit, libertatis studiosa, omneque alienum dominium quam maximè exosa, Scytharum ea fuit. Publicè id non solum eorum legatus Alexandro denunciavit, apud Curt. 7. 8. *Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus: Sed & agnovit Seneca lib. 2. de Ira c. 15. quamvis id pro eo, quo Romani Graecique alios praese despiciebant populos, animo, in pejorem partem interpretetur: Omnes ista feritate LIBERAE GENTES, leonum luporumque ritu, UT SERVIRE NON POSSUNT, ita nec imperare. Quin ne servitutis quidem nomen ferre potuisse Scythas apparet, ex eo quod narrat Herodot. lib. 4. p. 265. sc. cum Darius à Scytharum Rege Indathyrso superbè satis per legatum postulasset, ut sibi*

tanquam hero suo, munera terram atque  
 aquam offerat, respondit Indathyrsus. Δεσ-  
 πότης ἐμὸς Δία τε ἐγὼ νομίζω τὸν ἐμὸν πρόγονον  
 καὶ Ἰσίν τῶν Σκυθέων βασιλείαν, μόνον εἶναι. σὶ  
 δὲ ἀντὶ μὲν δῶρων γῆς τε καὶ ὕδατος, δῶρα πέμ-  
 ψω ποιαῦτα ὅσα σοι πρέπει εἰλεῖν. ἀντὶ δὲ πῦ  
 ὅτι δεσπότης ἐφῆσας εἶναι ἐμὸς, κλαίειν λέγω.  
 i. e. *Heros meos solos censeo Jovem Generis auto-*  
*rem, & regium Scytharum solium. Tibi autem*  
*pro donis terræ & aquæ, dona mittam, quibus di-*  
*gnus es. Pro eo autem quod te herum meum vocasti,*  
*jubeo te flere.* Dein statim addit Herod.  
 οἱ δὲ Σκυθέων βασιλεῖς ἀκούσαντες τῆς δουλοσύνης  
 τὸ ὄνομα, ὀργῆς ἐπλήσθησαν. *Reges autem Scy-*  
*tharum audito servitutis nomine ira impleti sunt.*  
 Imò quantopere servitutem æquè ac servilem  
 animum sint detestati, abundè docet severa  
 increpatio, quâ utrumque Jonibus quàm  
 acerbissimè exprobrarunt, apud Herod. lib.  
 4. p. 269. eos vocantes servos, & mancipia  
 heros amantia, omnique insectatione dignis-  
 sima.

Hinc etiam Scythæ illi, qui à servis origi-  
 nem habebant *degeneres* vocabantur, teste Pli-  
 nio H. N. lib. 4. c. 12. Aorsî (Corfi) aliàs Scy-  
 thæ *degeneres* & à servis orti.

Tam generosâ indole non indigna fuit Scy-  
 tharum fortuna, vix enim quisquam alius po-  
 pulus majori magisque perpetuâ libertate ga-  
 visus fuit, nam si Justinum audimus lib. 2. c. 3.  
*Imperium Asiæ ter quæsivere, ipsi perpetuo ab alie-*

no imperio aut intacti aut invicti manserunt. Hinc etiam Alexander eos vocat *αυτονόμους* i. e. liberos seu suis viventes legibus, apud Arrian. de exped. Alex. edit. Blanc. p. 266. Ex singulis his uti non minus manifestum esse censeo, quam solem lucere in meridie, quando sudum est, Phrygibus s. Barbaris recte servorum nomen dari, Scythis autem titulum liberorum, ita & illud addo, Divum Paulum quum servitutis atque Libertatis exempla, ut antea circumfisionis & præputii exhibere vellet, commodiora nulla, nullaque magis apposita invenire potuisse, quam hæc Phrygum & Scytharum. Phrygum quidem non solum, quia, ut antea visum, nulla gens servitutis infamia magis notata, sed & quia nulla alia magis circumstantiis omnibus accommodatior. Scribebat enim Apostolus ad incolas urbis Colossi, quæ urbs erat Phrygiæ ut docet Herod. lib. 7. c. 30. *ἀπίκετο ἐς Κολοσσάς, πόλιν μεγάλην Φρυγίας* venit Colossas, magnum Phrygiæ oppidum. Unde in proclivi est colligere, vix alibi majorem quam in Colossensi aliisque Ecclesiis Phrygiæ difficultatem hac de re oriri potuisse.

§. 13. Necte sollicitum admodum, Vir celeberrime, habere debet dubium, quod nuper cum mentem meam tibi de hoc loco primum aperirem, movebas; scilicet minus aptum videri posse, Apostolum cum ad Urbis Phrygiæ incolas scriberet, Phrygas non suo potius quam ignominioso Barbarorum nomine ap-

pellare voluisse. α. Nam Barbarorum nomen non semper ignominiam involvebat, sed usu ferè invaluerat, ut promiscuè Phryges vel hoc vel proprio vocarentur. Unde etiam ipsi nonnunquam sibi illud tribuunt. Ut apud Eurip. in Rheso v. 404. 405. ubi his verbis Rhesum alloquitur Hector

Σὺ δ' ἐγγενὴς ὢν Βάρβαρος τε Βαρβάρους  
Ἐλθισιν ἡμᾶς πρόθυπες τὸ σὸν μέρο,

Tu vero cognatus cum sis, & Barbarus Barbaros

Nos Græcis propinasti, quantum in te fuit.

β. Si vel maximè id ignominiâ omni non carere concedam, quod certe non magnopere nego, eò magis ad scopum Apostoli faciet, cum ut ostendat conditionis discrimen sublatum esse, eo imprimis vocabulo uti voluit, quod ad exprimendam deteriores Phrygum conditionem maximè aptum natum erat. γ. Nec illud negligendum, quod cum Apostolus statim Phrygas describat ut Servos, Barbarorum iis nomen rectiùs quam proprium dederit, quia servorum appellatio Barbaris apud Græcos propria erat, ὡς τὸ αὐτὸ φύσει Βάρβαρον καὶ δούλον ὄν quasi idem natura sit barbarum & servum esse, ut ait Aristot. Polit. lib. 1. cap. 5. quare & cap. 6. asserit Græcos voluisse Barbaros vocari servos, non autem homines ingenuos qui fortè adversantis fortunæ ictu in servitutem redacti essent.

§. 14. Non minori cum ratione in libertatis exemplum advocavit Scythas, quia non solum ejus præ omnibus aliis populis & amantissimi & maximè eadem gayisi fuerunt, sed & illis præcipuè temporibus nulla alia gens, saltem inter eas quæ Christianis propius cognitæ esse poterant, & cum quibus aliquod commercium habebant, hac in parte ipsis par existit. Cum enim reliquus fere universus orbis sub populi Romani imperium reductus esset, Scythæ constanter libertatem tuiti erant, unde jam ævo Augustæo cecinit Ovidius Trist. lib. 2.

*Hactenus Euxini pars est Germana sinistri,  
Proxima Basternæ Sauromatæque tenent.  
Hæc est Ausonii sub jure novissima, vixque  
Heret in imperii margine terra tui.*

Eadem mens ipsis sequentibus quoque temporibus mansit. quare Plin. H. N. 16. c. 1. ait Scythas, si vincerentur à populo Romano, servire se dicere.

Cedere hanc palmam Scythis cogebantur ipsi Græci, licet enim olim sibi solis libertatem præ omnibus aliis populis vindicaverint, ut supra ex Eurip. audivimus & Callisthenes eos ἐλευθερωτάτους liberrimos appellaverit apud Arrian. de exped. Alex. lib. 4. p. 266. Apostoli tamen temporibus, iisdem sub Romani dominii jugo ingemiscantibus nil nisi tristem pristinae

stinæ felicitatis memoriam fuisse reliquam, nemo ignorat. Nec ipsi amplius cum Scythis hac in parte conferri poterant Romani, quia etsi quondam libertatis amantissimi fuerant, ut Cicero etiam gloriaretur X. Philipp. 10. Omnes nationes servitutum ferre posse, civitatem Romanam non posse: immutata tamen dum jam erat rerum facies, delibatâque atque deflorata sub Imp. Romanæ libertatis virginitas.

§. 15. Hæc sunt quæ de hoc argumento tecum communicare habui. Finem jam scribendi facerem, nisi & pauca quædam circa Syriacam hujus loci versionem monenda essent. Eò me ducunt doctissima tua Analecta, quæ dissertationi Relandinæ subnectere voluisti, & in quibus ubique multifariæ eruditionis & felicissimi ingenii certissima documenta dedisti. Interim cum in omnibus tamen tuæ sententiæ accedere non possim,

Diversum (autem) sentire duos de rebus  
iisdem,

Incolumi liceat semper amicitia,  
non ægrè te laturum confido, si in quibus,  
quasque ob causas abs te discedam, amicè indicavero.

Quod vocem  $\text{ܠܘܕ}$  de Scythis accipis, mihi quidem minus probatur; quia ordo verborum plane hoc pacto immutatur, cum vox  $\text{ܠܘܕ}$  in priori commatis membro occurrat,

&

& si verborum seriem spectes, non voci Σκύθης, sed Ἑλλήν respondeat. Nec mutandum esse hunc ordinem patet quia Syrus ferè (a) semper vocem Ἑλλήν per ܐܠܗܝܢ reddere solet. ut Act. 16:

1, 3. 21: 28. Gal. 2: 3. idque in eadem conjunctione cum voce Ἰουδαίῳ ut Act. 19: 10.

Πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν - Ἰουδαίους τε καὶ Ἑλληνας, quæ Syrus vertit:

ܐܠܗܝܢ ܐܝܘܕܝܐܢ ܐܠܗܝܢ ܥܝܠܘܢ ܐܠܗܝܢ  
vid.

(a) At vero non minus frequenter, quando in textu originali occurrunt voces Ἕλληνες, Ἕλληνισαι, Ἕλληνιδες & Ἕλληνισι, Syrus adhibet vocem ܐܠܘܐ qua Ebræos, Chaldaeosque insignire Græcos notum est. Vide Act. VI: 1. XI: 20. XIV: 1. XVII: 4, 12. Apoc. IX. 11. Et ܐܠܘܐ occurrit pro Ἕλληνισι in praefatione Evangelii Lucae, & cap. XXIII: 38. in praefatione Evangelii Iohannis & c. XIX: 20. Imo Jones opponit Barbaris Rom. 1. 14. ubi enim in Graeco est Ἕλλησιντε καὶ βαρβαροῖς Syrus habet ܐܠܘܐ ܐܠܘܐ eadem prorsus ratione, ut in loco nostro. Vel itaque dicendum, hunc interpretem Scytham prorsus omisisse, & bis mentionem fecisse τὰ Ἕλληνα, & quicquid hujus nominis est, eodem in loco diversa ratione explicasse per Ionem & Aramaeum, vel Ἕλληνα transtulisse per ܐܠܘܐ & Scytham per ܐܠܗܝܢ Aramaeum, quod mihi probandum sumseram. T. d. H.

vid. & ib. v. 17. cap. 20: 21. Rom. 1: 16. 2: 9, 10. 3: 9. 10: 12. 1. Cor. 1: 22, 23. 24. 10: 32. 12: 13. & quod magis est, in loco atque argumento huic parallelo. Gal. 3: 28. 'οὐκ ἐστὶ Ἰουδαῖοι, οὐδὲ Ἕλληνας. Syr. ܩܘܪܝܢܐܘܢ ܩܘܪܝܢܐܘܢ

Nec apud Syrum tantum sed & apud Æthiopem eadem vox eodem modo usurpatur, ut docet de Dieu ad Act. 20: 21.

§. 16. Nec testimonium Plinii H. N. 6: 19. scribentis Antiquos appellasse Scythas *Aramaeos* rem conficit. Cum enim nemo omnium Veterum Geographorum, quos Plinius vel duces vel sequaces habuit, hujus appellationis (b) meminerit, nihil certius esse potest, quam errorem hic commissum esse. Quem tamen nol-

(b) Ecquis vero nostrum omnes veterum libros perstravit? eccejus memoriae occurrunt illico, quae olim fortassis, ad hanc rem tum non satis attendens legit? Et, quis mihi dixerit, in deperditis veterum scriptis, quibus usus est Plinius, quaeque ea, quae nobis edax rerum tempus reliquit, numero immane quantum superant, nihil de hac re commemoratum fuisse? Porro Plinius scribit Scythas dictos *Aramaeos*, at Stephanus, qui eum exscripsit Dionysii scholiastes, *Nomaeos*, anne itaque mihi idem jus erit ex Plinio corrigendi Stephanum, quod alii sibi sumunt, qui ex Stephano emendandum sibi Plinium censent. Sed nihil obstat, quo minus idem & *Aramaeorum* & *Nomaeorum* nomen olim dari potuerit Scythis. Saltim, nollem ego, *Aramaeos* transformare in *Nomaeos*, si haec lectio non unius quidem codi-

nollem cum Bocharto ipsi Plinio tribuere, sed amanuensibus potius, quos levissimo lapsu AROMAEI, vel ut habent Harduini Codd. ARMAEI, legisse existimo pro NOMAEI. NOMAEOS enim antiquitus appellatos fuisse Scythas disertis verbis testatur Stephanus de Urbibus in voce Σκύθη. Σκύθαι, ait, ἔθνος Θράκιον, ἐκαλοῦντο δὲ πρότερον ΝΟΜΑΙΟΙ, Scythæ Gens Thracum, vocabantur autem prius NOMAEI. Gemina his habet Eustathius (quem ad hunc locum citant Berkelius & Holsten.) in schol. ad Dionys. Perieges. Exstat locus in edit. Oxon. p. 129. ἦσαν δὲ Σκύθαι καὶ Θράκιον ἔθνος, οἱ καὶ ΝΟΜΑΙΟΙ, Erant autem Scythæ gens Thracica, qui & vocabantur NOMAEI. Idem confirmat vox NOMADES. quæ posterioribus quidem temporibus certæ cuidam inter Scythas nationi propria, antiquioribus autem, universæ genti communis fuit, ut docet Strabo lib. 1. pag. 33. Edit. Casaubon. φημί γὰρ κατὰ τὴν τῶν ἀρχαίων Ἑλλήνων δόξαν, ὡς περὶ τὰ πρὸς βορρᾶν μέρη τὰ γινώριμα ἐν ὀνόματι Σκύθας ἐκάλουσαν, ἢ ΝΟΜΑΔΑΣ &c. dico enim secundum priscorum Græcorum sententiam, quod sicut notas versus Septentrionem Gentes, uno prius nomine vel Scythas vel NOMADAS appellarunt, &c. Nomades  
αι-

codicis auctoritate stabiliri possit. Neque ab ea abeundum putem, cum *Aromaeorum* nomen idem significare, quod *Scytharum*, liquido a me citato loco demonstratum putem. T. d. H.

autem & Nomæi unum idemque: Uti enim NOMADES dicti sunt quod pascendi pecoris causâ vagarentur atque errarent, ut docent Salmaf. Exercit. Plin. p. 219. & 584. & Cellar. Geogr. Afric. p. 168. ita & NOMÆORUM vox ejusdem planè significationis est, unde serpyllum Sylvestre vocavit Nicander ἐρπύλλον, ΝΟΜΑΪΟΝ, quod est ad verbum erraticum, ut Νομάδες Populi errabundi, ut observat Salmaf. l. c. p. 584.

§. 17. Quare autem Syrus voces Βάρβαρος, Σκύθης verterit ἑρριδο ἑλλο non tam facile est hariolari, nisi forsan dicere velimus, vel locum in mendo cubare, vel interpretem ipsum Apostoli mentem non satis affecutum fuisse, cumque videret eum aliàs Βαρβαροῖς opponere Ἑθνησ, ut Rom. I: 14. in eandem mentem hæc quoque verba accepisse, quod eò majorem veri speciem habet, quia loco citato Græca eodem planè modo reddidit. Sed quicquid etiam eâ de re sit, parùm aut nihil id ad rem præsentem facit, cum nobis tantùm propositum fuerit Apostoli mentem locique genuinum sensum indagare. Utrum id ritè nobis successerit, nec ne, tuo, Vir Amicissime, aliorumque Virorum Doctorum judicio, (c) per-

(c) Et hoc mihi placet. Propterea ea, quae contra sententiam eruditissimi, meique, de quo mihi gra-



II. qualis item *Adversarius*? §. 12. Quid v. 4. omnis *Deus dictus*, & omne *σέβασμα*, atque super illa elatio τῆς Ἀνομίας sit, ejusque sessio in templo Dei, & demonstratio sui, quasi Dei? quodque hæc omnia nullatenus Synedrio & Pseudapostolis Judæorum sed alii Adversario congruant, §. 13. 14. 15. Vindiciæ versus 6. & 7. §. 16. Quid *Mysterium τῆς ἀνομίας*, ejusque manifestationem Pauli sevo impediens? §. 17. 18. qualis Antichristi *Revelatio & Abolitio* v. 8. (qui vindicatur) §. 19. 20. Vindiciæ dicti I. Joh. 2: 18. 22. & c. 4: 1-3.

## §. I.

**D**octrinam de *Antichristo*, Ecclesiæ Novi Test. hoste præcipuo, non sane levis esse momenti, adeoque vel negligendam, & tanquam minus necessariam, parumve aut nihil ad Ecclesiæ animarumque in fide veritatis ædificationem ac profectum facientem, oblivione sepeliendam, ex eo certissime constat, quod & Christus & Apostoli illam, a Mose jam olim & Prophetis traditam, concionibus suis fideliter exposuerunt & fidelibus inculcarunt, utque hi sibi ab Antichristo ejusque satellitibus studiosissime caverent, sedulo monuerunt. Christus utique apud Matthæum C. XXIV. à versu 4-14. fata cum Judæorum tum Christianorum summatim proponens, eaque postea à v. 15-31. uberius exponens, τὴν Ἀνομίαν, *defectionem a lege evangelica*, seu fide Christiana, post

post Judæorum internecionem, & Christianorum sub ethnicis Imperatoribus afflictiones multivarias, sub Antichristo, τῷ ἀνθρῳ, *Ex lege illo*, ejusque seductione & tyrannide, invalu-ram, non tacet, sed eam, ibi v. 11. sq. hic vero v. 23-28. admodum graphice depingit, hanc-que monelam v. 25. interferit, *Ecce prædixi vobis*. Nec minus Apostoli. Petrus certe, 2. epistolæ c. 2. & Judas, tota sua, quam de certamine pro fide, semel sanctis tradita, scripsit, Epistola, illius dictionem fere imitatus; nec non Jacobus, a cap. 2. Epistolæ suæ catholicæ; ante omnes vero Johannes, in Epistola præsertim priore, c. 2. & 4. & in stupenda sua Apocalypsi, itemque Paulus, ut Actor. 20: 29. 30. & 1. Tim. 4: 1. 2. 3. & 2. Tim. 3: 1. seqq. ita vel imprimis in 2. Epist. ad Thessal. c. 2. *Antichristum*, ejusque tum ante-Ambulones, tum Satellites & armigeros, quaque ille usus est, seductionem & tyrannidem, vivis quasi coloribus depinxerunt. Quorum postremus d. Ep. 2. ad Thessalonicenses c. 2. v. 5. hos etiam vel idcirco redarguit, quod eorum, quæ ipse eos coram de Antichristo pridem docuisset, penitus jam viderentur oblit: eosque postea v. 15. monet, ut tam hæc quam alia Christianæ doctrinæ capita, ipsis vel *sermone*, coram facto, vel *epistola*, ad ipsos perscripta, jam olim tradita, fidelissime tenerent. Quare, si qui sint, qui vix aliam *Babylonem* mysticam, aut alium ejus Regem, s. *Antichristum*, quam, quæ nobis-

met ipsis natura inest, corruptionem, depravatamque mentis rationem ac voluntatem cum toto affectuum imperio, Christo Deoque maxime adversario, agnoscere volunt, scripturas certe, de Antichristi regno, in Ecclesia Novi Test. certo tempore exituro, tam frequenter testantes non audiunt. Quare vel unum B. Spenerum videant, in *piis Desidd.* p. 65. & Append. ed. Lat. & in Libello Germ. de usu & abusu querelarum de Christianismi corruptione, c. 2. §. 15. ante omnia vero, Scripturæ ut cedant & credant, rogantur.

§. 2. Omni vero tempore multas a multis sparsas esse de Antichristo fabulas, neminem fugit; imprimis Judaicam illam, qua & multi Veterum Ecclesiæ Doctorum decepti sunt, de illo quasi Judæo, & tribu *Dan* exoritur, & proxime ante mundi finem, Hierosolymis in novo templo adorando, indeque toti terrarum orbi tribus cum dimidio annis imperaturo, (duobus etiam testibus, contra ipsum excitandis, *Henocho* videlicet atque *Elia*, occisis,) & omni veræ religionis cultu prorsus abrogato; dehinc vero post Mensium XLII. decursum in illustrissimo Domini adventu Spiritu oris ipsius subito consumendo. Qui error à Romanensibus cupide adoptatus, pudendus licet & absurdus, aque Theologis quamplurimis, ac præsertim a P. Juræo, in *Accomplissements des Propheties*, & M<sup>r</sup>. du Vidal, in *l'Eglise Romaine pleinement convaincue d'Antichristianisme*,  
foli-

solidissime confutatus, condonari tamen illis facile potest, qui primis Novi Test. seculis, cum fatorum Ecclesiae sigilla eo usque nondum essent aperta, illo sibi imponi imprudentes passi sunt. Sicut & alter ille primævorum quorundam Christianorum error, de Nerone, primo Ecclesiarum in Occidente Vastatore, quasi Antichristo, templum Hierosolymitanum brevi occupaturo, inque throno suo, ibi collocato, Dei instar adorando, & Ecclesias tunc in Oriente quoque vastaturo: qui tam altas in quorundam tunc animis egit radices, ut etiam Neronem, jam licet perditum, adhuc tamen superesse & alicubi in vivis servari, crederent, sub mundi finem in scenam rediturum, & quatuor cum dimidio annis Antichristi personam acturum: ut ex Lactantii L. de Morte Persecutorum, Sulp. Severi L. II. Hist. Sacr. c. XLII. & Dial. de vita Martini, nec non Augustini L. XX. de Civit. Dei, c. XIX. imo & ex L. V. carminum Sibyllinorum, constat, ubi dictum in eum legimus,

- - - - εἴτ' ἀνακάμψει,  
 ἰσαάζων Θεῷ αὐτὸν, ἐλέγξει δ' ἔμιν εἶόντα. h. e.  
 deinde revertetur, se ipsum Deo equiparaturus: Sed  
 convincet illum (Deus) quod non sit. Neque de  
 iis nunc gravius quid dicam, qui, Anti-Chri-  
 stum esse Muhammedem, cum Saracenis suis  
 hodiernisque Turcis, opinati sunt: quæ circa  
 Reformationis tempora plurimorum gemi-  
 num sibi Anti-Christum, Orientalem, alterum

vero Occidentalem, perperam imaginan-  
 tium, fuit opinio: cui & postea Matth. Hoff-  
 mannus, in *Chronot. Apocal.* c. 7. p. m. 109. &  
 116. sq. nec non Heunischius, in *Clave Apoc.*  
 p. 21. & 87. velificatus est; quemadmodum  
 & Corn. Uytengahius, L. de *Antichristo Moham-  
 mede*, omnia de Antichristo tum in V. tum in  
 N. Test. dicta huic impostori accommodare  
 studuit. Quam tamen sententiam, ut minus  
 solidam, Carolus Gallus, in Appendice ad  
 Clavem Apoc. p. 174. sqq. & Vitringa, *Anacr.*  
*Apocal.* p. 765. nec non Juriaeus, in *Accomplis-  
 sem. des Propheties*, Part. II. c. III. satis refellit.  
 Sed omni prorsus excusatione illi carent, quos  
 hodieum prorsus cœcutientes, inque tanta,  
 quæ nos hodie circumspendet, scripturarum  
 luce, immo in ipso quasi meridie, tanquam in  
 tenebris adhuc palpantes, (Esa. 59.) vera de  
*Antichristo* sententia secundum scripturas *ἑλόν-  
 τος λαοῦ ἰσραὴλ* sua ipsorum voluntate latet: (ut cum  
 Petro dicam) quam, a Waldensium & Hussi-  
 tarum jam temporibus patefactam, in hunc us-  
 que diem communiter profitentur, qui Evan-  
 gelium æternum, per Angelum (Apoc. 14:  
 16.) in Reformatione Ecclesiæ renunciatum, &  
 animo & ore profitentur: Socinianos innuo  
 & Arminianos plerosque, ad simpliciorum  
 primi ævi Christianorum exemplum, *Anti-  
 christum*, quo de 2. Thess. 2. Paulus Ecclesiam  
 monuit, in primo isto Ecclesiæ Christi seculo  
 quærentes, & vel in *Nerone* etiam, vel in *Caligula*,

gula, vel in *Simone Mago*, imo vel in *Gnosticis*,  
 vel in *Barcochba*, Judæorum Pseudo-Mesſia, se  
 invenisse, sibi aliisque persuadentes: ut Vol-  
 ckelius, Przipcovius, Mart. Ruarus & Grotius.  
 Postquam vero hæc, postremi hujus præser-  
 tim de *C. Caligula* & *Simone Mago* opinio, quam  
 quidem & Hammondus maximam partem se-  
 cutus est, in *Dissert. præmiali de jure Episc.* à  
 multis præclarisque omnium etiam partium  
 Viris, Maresio, Ligtfooto, Coccejo, Hippoly-  
 to Frontone s. Pet. Molinæo, Joh. Simplicio,  
 s. (uti à Sandio, in *Biblioth. Anti-Trinit.* appella-  
 tur,) Slichtingio, & nostrate Hulsemanno, in  
*Breviar. Theol.* c. 22. atque Calovio, in *Bibl.*  
*Illustr.* ad 2. Theſſ. 2. denique etiam ab Epi-  
 scopo Lincolnensi, Thoma, in *the observations on*  
*the Popes Bull against Queen Elisabeth*, p. 137. ff.  
 solidè confutata, veraque Ecclesiæ veræ de  
 vero *Antichristo* sententia solidissimè evicta est  
 & invictè stabilita; nunc iterum fuit nupero  
 tempore, qui Ligtfootum imitatus nova  
 prorsus ratione, Prophetias N. T. illustriores  
 de *Antichristo*, vel ad ipsos Judæos eorumve *Synē-*  
*drium*, hujusque emissarios, *Pseudo-Apostolos*,  
 accommodare, seu potius detorquere, cona-  
 tus est: idem scilicet Vir Clarissimus, cujus &  
 nuper de Bestiis V. Danielicis, Dan. 7. & de *Colos-*  
*so Danielis*, ib. cap. 2. expositionem examinavi-  
 mus: idque tali etiam cum specie instituit,  
 quæ primo saltem intuitu fallere parum cautos  
 facile possit. Quam ego sententiam, scriptu-

ræ prophetica, tam iniquam, Gallico tantum scripto, una cum aliis quibusdam argumentis, (e.g. de *Vulpibus Samsonis, Corvis Elia &c.*) proditam, in præsentia vel paucis examinare stat sententia.

§. 3. Mens Autoris, hæc est: *Anti-Christi* vocabulum duobus seculis ferè ante natum Christum, in Hellenistarum, s. Judæorum Græcorum, Synagogis, & forte Alexandria primum, in Ægypto, audiri cœpisse; cum nimirum Judæi illic Græcam linguam & Philosophiam Platonis, una tunc cum Græcorum imperio ibi jam pridem usu receptam, excoluerint, tamque perfectam Reipublicæ formam, qualem Plato suis *de Rep. libris* descripsit, in regno certe Messia, ipsis expectato, omnibusque gentibus imperituro, suo olim tempore revera extitutam speraverint, non sine maximis tamen motibus, & extremo omnium nationum, contra Messiam in bellum atrocissimum conspiraturarum, renisu facile introducendam. Tunc enim illos, hæc ita disputantes, Ducem & Autorem, sive caput, hostium *Christi*, regno ejus adversaturorum, Græca voce *Αντιχριστου* *Antichristum* appellasse; quæ & ex illo tempore perpetuo inter Judæos usu obtinuerit. Cum vero Synagoga Judæica contra Jesum Dominum ejusque fideles extremo furore grassaretur; (Evangelistarum & Apostolorum scriptis Actisque testibus;) Apostolos istud nomen ipsis Judæorum Prin-

cipibus, eorumque Aseclis attribuisse; quo  
 docerent, illos ipsos, sicut veri Messiae sive  
*Christi* occisores fuissent, ita & hinc genuinos  
 nominis ejus esse hostes, verumve *Antichri-*  
*stum* & *Antichristos*, de quibus tam diu, tamque  
 multa, suis in synagogis jactassent ac praesagi-  
 vissent. Putatque adeo Vir Cl. Apostolos,  
 ubi *Anti-Christi* meminerunt, ad solum *Judaismum*  
 digitum intendere: siquidem illi, tan-  
 quam Judaei, hoc vocabulum, ut Judaeis tunc  
 temporis passim notum & plane familiare,  
 probe habuerint cognitum, sicque ipsos hosce  
 juratos *Christi* ejusque Sectatorum hostes eo  
 appellaverint p. 100. sqq. At vero, sicut  
 Autor hanc suam de origine & usu vocis *Anti-*  
*Christi* conjecturam, quam omni licet funda-  
 mento destitutam, nec probat, nec probare  
 poterit, ita multo minus probabit unquam,  
 rem ipsam, sive ipsum illud *Anti-Christi* ne-  
 gotium, de quo Apostoli loquuntur, non  
 fuisse jam dudum a Prophetis antiquis, ipso-  
 que jam Mose, memoratum & descriptum.  
 Nimirum huc sequentia faciunt, inter alia,  
 scripturae Veteris loca: Deut. 32: 29. sqq.  
 c. 33: 21. Esa. II: 4. & c. 14: 13. 14. (coll.  
 cum 2. Thess. 2: 4. 8.) Esa. 19: c. 23: c. 25:  
 c. 30: &c. Hof. 5: 13. c. 10: 6. (ubi *Rex Jareb*  
 ipse est *Anti-Christus*) Habac. 2: 9. sqq. Zach. 5:  
 c. 10: 11. 12. c. 11: 15. sqq. it. c. 13. & 14. Psal. 9:  
 6: 17. Pl. 10: 2. 3. 4. 13. 15. Pl. 36: 2. Pl. 37: 12.  
 32: 35. Pl. 139: 19. & 140: 9. sqq. (ubi *Anti-*  
 Fff 5 Chri-

Christus semper venit nomine *יְשׁוּעָה* *improbi*  
*κατ' ἐξοχήν*, quam LXX. *ἀνόμων*, *Exlegem* s.  
*defectorem a lege*, & istius defectionis, *ἀνομιᾶς*,  
 Matth. 24: 12. 2. Theff. 2: 7. 8. aliis quoque  
 autorem, reddere solent; sicut & Apostolus  
 d. 2. Theff. 2: 8. coll. Esa. 11: 4.) item Ps. 68:  
 21. 22. 31. Ps. 73-77. 79. 85. 86. 88. 92. 94.  
 100. 4. 6. &c. &c. Speciatim vero Dan. 7: 8.  
 20. 21. 22. 25. 26. c. 2: 33. 34. 41. 42. 43. 44. c. 11:  
 36. sqq. (coll. d. 2. Theff. 2: 4. 1. Tim. 4: 1-4.)  
 Hefek. 28: it. c. 38. & 39: Ubi de Gogo &  
 Magogo vaticinia, coll. Apoc. 20: 7. 8. per  
 quem non intelligentiores solum Christiano-  
 rum interpretes, sed Judæorum quoque Rab-  
 bini, *Antichristum*, ejusque sectatores & co-  
 pias, intelligunt, (etsi non satis distinctam  
 ejus habeant notitiam) ejusdemque in popu-  
 lum Dei expeditionem sub initium regni Mes-  
 siæ gloriosi statuunt suscipiendam. vid. Ge-  
 mara Sanhedrin, c. 11. R. Mos. ben Maimon,  
 Cod. *Melachim*, c. 12: §. 11. & R. Saadias Gaon,  
*Sepher happedath*, sub finem &c. De Gogo ve-  
 ro isto, inquit Dominus, d. Hef. 38: 17. *anti-*  
*quiores etiam vates priscis diebus suo* instinctu jam  
*esse vaticinatos.* Et quomodo probabit Vir Cl.  
 has similesque Prophetias non jam olim apud  
 veteres etiam Judæos de illo *Anti-Christo*, Græ-  
 co postea vocabulo sic dicto, esse exauditas?  
 Neque certe Legisperitus quisquam, ad re-  
 gnum cœlorum rite institutus, (Matth. 13:  
 § 2.) dicere cum ratione poterit, illas istuc  
 pla-

plane non facere, sed tum a Rabbiniis tum a Christianis eò citra Spiritus S. mentem esse detortas: ut imprudentiores Grotii imitatores, qui neque *Christum*, neq; *Anti-Christum* in evidentissimis etiam Scripturæ locis reperire aut videre sive valent sive volunt, sibi persuadent.

§. 4. Sed neque assecutus est Noster vim omnem nominis *Anti-Christi*; quod ita ipse intelligit, & Judæos, ejus scilicet jam dudum ante natum Christum inventores, intellexisse supponit, quasi nihil aliud, quam insignem quendam notabilemque *Christi adversarium*, denotet. Verumtamen omni procul dubio non talem solum designat, (quales certe quam plurimi omnibus fuerunt seculis, & nunc etiam omnes illi sunt, qui non cum ipso sunt & colligunt; Luc. 11: 23.) sed eum, qui pro *Christi se vicario* gerit, ejusve loco ac nomine præest, & sic veleo ipso illi *adversatur*. Quandoquidem præpositio *ἀντι* (quæ prior compositæ hujus vocis pars est,) per se, non solum *contra*; sed & proprie atque usitate, imo usitatissime, *pro, vice, loco*, significat: (ut Matth. 2: 22. ἀντι Ἡρώδῃ, loco *Herodis*; cap. 5: 38. Oculum pro oculo cap. 20: 28. dare animam ἀντι πολλῶν pro *multis*; Luc. 11: 11. ἀντι ἰχθύος ἕφιν, serpentem loco *piscis*, vel pro *pisce*. χάριν ἀντι χάριτος *gratiam* sc. N. Test. locogratiæ legis, s. V. Test. Joh. 1: 16. Eurip. in Hecuba, ἡ δ' ἀντι πολλῶν ἐστὶ μοι πνεύματι, hæc mihi loco *multarum* est solatium: Alex. Aphrodisæus, ἀντὶ ἰματίων περιέβαλε

*πτερό* loco vestium, pennas induit: Vide &  
 LXX. 2. Sam. 18: 33. *ο* *σι* *mortuus* *esset* *ἀντί* *ος*,  
*ἑνὸς* *loci* *tui*:) In compositione vero etiam  
 cum vocibus aliis, usitatissime hanc signifi-  
 candi vim retinet; ut in voce *ἀντισημῶν*,  
*Ducis* *b.lli* *Vicarius*, quem Galli dicunt *General-*  
*Lieutenant*; *ἀντιδευῶν*, qui pro altero, vel al-  
 terius vice s. loco, cœnæ interest; *ἀντιπρόσωπον*,  
*Proconsul*, *Consulis* *vice* fungens; (prout *Isido-*  
*rus*, *Origg.* *L.* *9.* *c.* *39.* illud exponit,) vel sic  
 etiam *equalitatem* quandoque aut *assimilationem*,  
 sive *equiparantiam*, indicat, ut in voce *ἀντιπῶς*  
 & *ἀντιπῶτος*, qui *Patri* *equalis* *est*, *ἀντιθεῶς*, *Deo*  
*equalis*, *ἀντιχειρ* *pollex*, quia *altera* *quasi* *manus*  
*est*, quippe qui *solus* *tantum* *valet*, *quantum* *qua-*  
*tuor* *digiti* *reliqui*; explicante *Galeno*. Vide  
*Palladii Hist. Laus.* *c.* *31.* Et ista utique signifi-  
 catione ipsum quoque *Spiritum* *S.* voce *Anti-*  
*christus* in *N.* *T.* uti atque intelligere, ex  
 2. *Thess.* *2:* *3.* *seqq.* constat; ubi, qui alibi *Anti-*  
*Christus* audit, describitur ut talis *Christi* *ad-*  
*versarius*, qui non quidem palam se talem  
 profiteatur, sed ejus se potius *Vicarium* jactet,  
*Deique* & *Christi* *vice* s. loco in templo Dei se-  
 deat, h. e. in ipsa *Ecclesia* *regnet*, *utque* *Deum*  
*se* *gerat*; ita ut, hoc usus prætextu, omnimodam a *Christo*  
*ejusque* *lege* s. fide moliatur *defectionem*,  
 sicque ei *revera* *adversetur*; Cujus etiam *dolus*,  
 etsi diu *occultatus*, *spu-*  
*riisque* *miraculis*, nomine quasi & *potentia*  
*Christi* *factis*, re vero ipsa *Diaboli* *operatione*  
 ac *præstigils* *præstitis*, *tectus* *atque* *infucatus*,  
 de-

detracta tandem impostori larva foret manifestandus, extremoque supplicio puniendus. Quod vel solum hic opportune observatum, novas Autoris de *Anti-Christo* & *Anti-Christiano* Judæorum cogitationes refellit, vanasque eas esse, arguit; aliumque adeo quærere jubet *Anti-Christum*, qui *Christi* se jactet vicarium; id quod in Judæorum Principes minime convenit. Vide interea Heideggeri *Myster. Babyl.* c. 13. §. 12. sqq.

§. 5. Sed videamus, quomodo istum ex 2. *Thess.* 2. locum, de *Anti-Christo* palmarium, suam in rem vertere Noster allaboraverit. Hunc vero jam equuleo quasi impostum torquet, ut vel invitissimus ipsi ad stipulari cogatur, dum singula ejus verba ita vertit, imo pervertit, versat & vexat, ut quid in eo relinquatur sani, non videam. Fundamenti loco perversæ interpretationi suæ præstruit, Paulum hic persuasum velle *Thessalonicensibus*, ne, à fide *Christiana* deficientes, ad *Judaismum* relabantur: de cujus adeo judicio & excidio, prope tum instanti, *diem adventus Christi* v. 1. 2. explicat, sicque tam illum *diei Christi adventum*, quam *Spiritum, Verbum, Epistolam* tanquam ab *Apostolo* scriptam, v. 2. (in bonam omnia partem accepta) Pauli facit argumenta, quibus illis constantiam in doctrina & fide *Christi*, semel ipsis tradita, persuadere voluerit, ne ab ea se vel phaleratis Judæorum sermonibus, vel afflictionibus ullis, avelli patiantur. Quæ omnia quam coacta sint atque contor-

torta, quilibet Pauli sermonem paulo intensius considerans, facile intelliget. Interpretes in eo hic consentiunt, (nec repugnante Grotio) *diem adventus Christi*, hoc loco extremum esse mundi diem παντοκρατορικόν, quo Christus, mortuis resuscitatus conspicendum sedenuo oculis nostris dabit; Apostolumque Thessalonicensibus opinionem, cujus errore, diem istum jam tunc esse propinquum credebant, eximere voluisse; eosque adeo *de hoc Christi adventu hortetur & roget, ne à quoquam se facile a recta mentis sententia circa adventum illum Christi dimoveri patiantur, neque perturbari, neque dià* (cum Genitivo ut & in seqq. *per jactatum Spiritum ejusve revelationem; neque per sermonem hominum, sparsumve rumorem; neque per epistolam, si quæ forte ab aliquo proferatur, quasi hanc in rem per ipsum Apostolum missa, quippe quod dies Christi jam prope instaret; quia dies ille adventus Domini expectandus non esset, priusquam magnus Christi adversarius, Anti-Christus, tunc nondum manifestatus, magnam à fide defectionem, certo adhuc futuram, invexisset, illumque Dominus, fraude ejus prodita, perdidisset. Quæ omnia Noster eo contorquere nititur, quasi propter illa omnia, tanquam res etiam bonas, imo rationes movendi efficaces, eo hic sine allegatas, Paulus Thessalonicenses roget, & argumentis istis quasi persuasoriis eos permovere studeat, ne se ab imaginario illo Anti-*  
 Chri-

Christo Judaico ad abnegationem fidei Christianæ sinant induci. Quamobrem præpositionem *διὰ*, quæ, cum Genitivo casu, uti hic, posita, non *propter*, sed *per*, significat; in omnibus versus 2. colis, Gallice transfert à cause h. e. *propter*: quasi Paulus illos roget *propter Spiritum*: (nimir. quem jam accepissent; coll. Galat. 3: 2.) *propter verbum veritatis*, ipsis annunciatum; & *propter Epistolam*, (priorem illam) a se ad ipsos datam, & *propter singularem illum*, quo ipsum prosequerentur, amorem; ita Noster, colo penultimo unico, μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, neque *per epistolam*, quasi *per nos* scriptam; in duo disrupto, partem posteriorem, ὡς δι' ἡμῶν, exponit, quasi esset, *propter nos*: (non tantum prorsus coacte, sed particula ὡς quasi etiam plane neglecta) ne scilicet a Christo desciscant. Unde & quæ ibi adhuc sequuntur verba, ὡς ὅτι ἐνέσκηκεν ἡμέτερον τῆ χειρῶν, quippe quasi *dies Christi prope sit*; ita potro interpretatur, quasi aliam insuper rationem contineant, quare a fide ipsis non sit definiendum; quia scil. *dies Judicii Christi* in Judæos, revera *prope sit* (ac si vox ὡς, quasi, veritatem hic rei indicaret) ubi Christiani ab iis, quas nunc ferrent, Judæorum vexationibus prorsus essent liberandi. Quorsum & allegat 1. Ep. ad Thess. 2: 14. 15. 16.

§. 6. Hic jam æquus Christianusque Lector in timore Domini judicet, annon hæc Autoris in.

interpretatio sit coactissima, & vel ubivis impingat, imo in omnibus pene verbis, vitiis tanto certe Philologo, ne dicam Christiano Interprete, indignis, omnemque excusationem superantibus, laboret manifestissime? Si enim vel maxime de die adventus Christi ad *Judicium in Judeos* sermo hic esset; (quod tamen falsum esse, postea demonstrabitur) sique etiam v. 2. *Spiritus, Verbum, Epistola &c.* pro rationibus moventibus haberi quirent; & præpositum illis *διὰ*, cum Genitivo positum, propter transferri; imo & *δι' ἡμῶν*, per nos, quasi propter nos, ita intelligi posset, ut per illud amor Thessalonicensium erga Paulum, tanquam argumentum movens quoque allegetur ad ipsorum in fide constantiam: quorum vero nullum hic esse concedique potest, cum & versus 15. postea, ubi eadem *Φρασις* (*διά λόγους*, & *δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν*) recurrens, manifesto aliam (nostram) expositionem postulat, refellat: Constructio tamen verborum omnium d. v. 2. & præsertim particula *μήτε*, neque, jugis & continuata, ante singulas istas rationes (quæ putantur) moventes repetitio, ejusque cum verbo *Ἐρωτῶμαι*, *turbari*, arcta immediataque connexio, non sane permittens, ut ad verbum *ἔρωτῶμεν*, *rogamus*, v. 1. longissime remotum, referatur, aut cum eo jungatur; satis indicat, imo clamat, omnes illas non esse nisi varia fallaciarum genera, adeoque ipsa impostorum argumenta, quibus, periculum erat,

erat, ne Thessalonicenses a vera de die adventus Christi sententia abstraherentur aut turbarentur. Ita enim dicit; *Ne turbemini, neque per Spiritum, neque per verbum, neque per epistolam, quasi per nos missam, tanquam quod dies ille Christi instet.* Quæ Noster ita reddit: *Rogamus vos, - ne turbemini, NB. neque propter Spiritum, neque propter Verbum, neque propter epistolam, propter nos (h. e. nostriamorem) propterea, quod dies Christi appropinquat.* Quis non videt, primum saltem illud *neque* (quod sane omitti secundum istam rationem debuisset,) vel solum Autoris expositionem refellere, nostramque invicte confirmare. Ut jam taceam, Autorem particulam *ὡς* quasi ante *δὲ ἡμῶν*, per nos, prorsus negligere, ejusque loco *μήτε* neque subaudire debere, quippe quod hic ante verba ista non, ut antea, repetitur; attamen, si novum illa haberent argumentum, neque hic omitti potuisset. Quemadmodum & ante illa, quæ sequuntur, verba (quæ similem rursus Autor putat habere rationem moventem) illud *μήτε*, *neque*, non repetitur, sed denuo etiam ab eo subintelligi debuit: Ubi ille contra præpositum illud *ὡς*, quasi, vel tanquam (quod Syra versio per *ὅτι* ecce exprimit) sive prorsus iterum negligit, sive pro revera accipit: ita enim illa asserendi sensu vertit; *que par ce, que la jour de J. C. l'approche.* Quæ omnia certe coactissimam expositionem & perversissimam interpretationem demonstrant.

strant. Sed præterea verba sequentia v. 3. *Nemo vos decipiet ullo modo*, κατὰ μηδένα τρόπον (quæ Syrus hunc in sensum reddit, *ullo ex modis*;) manifesto quoque ostendunt, omnia illa modo v. 2. memorata illos ipsos esse fallaciarum modos, quibus impostores ad sollicitandam ipsorum constantiam uti possent. Quos decipiendi modos hic summatim complectens repetit quasi, & Thessalonicensibus denuo inculcat Apostolus, dicens, *Nulla modo aut ratione*, q. d. per nullum fallaciarum istarum, quas modo enumeravi, genus, nullamve speciem, vos quisquam seducat, ne vel unistorum decipiendi modorum credulos vos præbete aut faciles. Deinde, cum Vir Cl. sequentia, afferendi sensu ab Apostolo dicta, ὅτι, εἰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, &c. *Quia non veniet dies Christi*, (hæc enim per βραχυλογίαν, verborum decurtationem, Spiritui S. non inusitatam, vid. Matth. 15: 5. Rom. 12: 6, 7. omissa, ut patet, omnes etiam Interpretes ex Apostoli mente & textus circumstantiis ita suppleant,) *nisi venerit prius defectio illa & homo ille peccati manifestatus sit*: interrogandi sensu ita exponit: *Car l'apostasie ne viendra t-elle pas auparavant, & l'homme de peché ne doit il pas paroître publiquement? Annon enim apostasia illa prius ventura, & homo ille peccati publice appariturus est?* Quis illam non miretur interpretandi licentiam, quis ferat, orationem Spiritus S. hypotheticam, *nisi ante venerit defectio illa &c.* (ut omnes interpretes, etiam antiquissimus Syrus, red-

reddunt,) tam licentiose perverti, & verba conjunctivi (ut Grammatici loquuntur) modi sensu *indicante* transferri: omiffa nimirum particula *ἰάν*, quæ cum voce *μή*, uti hic, junctæ, *nisi* significat; atque ita *μή* illud, ab *ἰάν* avulsum, seorsim interrogandi sensu, *annon*, reddi? (Æqui hic lectoris, quin ipsiusmet Autoris, testor conscientiam) Quamquam alias iste quoque sensus veræ sententiæ nihil obstaret; imo & Autoris hypothefin, licet hac ei expositio-  
ne infervire voluerit, parum juvaret.

§. 7. His igitur fundamentis *novæ* de Antichristo Judaicæ, jam dudum exciso, *opinionis* penitus subrutis, omnia nunc, quæ superstruit Vir Cl. pariter ruunt atque labuntur. Hinc enim jam liquet, *diem adventumque Christi*, quem, ne persuaderi ullo sibi modo paterentur Thesalonicensis, suo jam instare tempore, Paulus cavere hic voluit, non esse diem adventus Christi ad Judæos exercendum: quippe quem tunc jam instare, ipse eos 1. Theff. 2: 16. docuerat: quemque prope jam esse, tum Baptista Matth. 3: 7. 10. tum ipse etiam Dominus pluries dixerat. (v. Matth. 10: 23. c. 16: 28. c. 26: 64.) imo, quem brevi post tunc quoque revera adfuisse, experientia compertum est; quemque adeo prope tunc expectari, error haud quaquam erat, ab Apostolo hic tam studiose refellendus, illisque eximendus. Firmo itaque talo communis illa veterum novorumque interpretum perstat sententia, Apostolum Thes-

salonicensium errorem, quasi dies mundi novissimus extremique judicii jam tum instaret, hic confutasse. Quemadmodum & Theodorus, Syriae Episcopus, in *Comm. ad hanc Epist.* Tom. V. Opp. hanc ejus rei observat rationem, quod, quia Dominus (Matth. 24: 14.) mundi haud affore finem, docuisset, priusquam evangelium omnibus annunciatum esset gentibus; Apostoli vero aevi ubi vis terrarum idolorum adhuc & Diaboli cultus viguisset, ille hic ex Christi doctrina monuerit, istam idololatriam prius oportere esse extirpatam, & Evangelium ubique gentium receptum, quam Antichristus esset manifestandus. Nec sane repugnat ipse Nostri, ut videtur, Praeceptor, Grotius, licet is diem excidii Judaeorum hic etiam indigitari putet, diem tamen mundi peremptorium simul intelligit, quod Apostolus crediderit, non multo post excidium Judaici status, secuturum excidium universale: (ut ad hunc locum ille commentatur) nihilque adeo vetare, hic intelligi ultimum Christi adventum, quem Paulus propinquum putaverit, ita tamen, ut prius destructio Hierosolymorum, & alia quaedam, deberent intercedere. Quae num & Nostri sit sententia, ille non quidem prodit. Impia vero est procul dubio, omnemque Novi Test. fidem labefactat, ipsique etiam Christo contradicit. V. Matth. 10: 20. coll. 1. Thess. 2: 13. Joh. 14: 26. Non enim Apostoli per Spiritum S. in ipsis ipsorumque scriptis loquentem, docuissent gentes observare omnia, quae Christus pra-

ceperat, idque ita, ut fallere non potuerint; (Matth. 28:20.) si alicubi errassent, vel errore & falsa daci opinione, quam tempus & experientia refellerent, potuissent. Cum tamen sollicitè contra cavere hic voluerit Apostolus, ne Christiani ejusmodi opinionem de die adventus Christi novissimo foverent, quæ, per contrarium rei eventum olim confutata, in religionis Christianæ ludibrium & præjudicium apud infideles tandem verteret. Non credit forte Vir Cl. Thessalonicenses istam tunc fovere opinionem potuisse, quasi dies extremus jam instaret. Hoc vero inde esse potuit, quod Paulus jam priore ad ipsos epistola, de novissimo Christi ad Judicium adventu scribens, hunc non solum subitaneum fore & plane inexpectatum, docuerat, c. 5: 1. sqq. sed & c. 4: 16, 17. eorum, qui tunc victuri essent, conditionem in sua ipsorumque persona descriperat, (sicuti & Corinthiis fecit, 1. Cor. 15: 51. 52.) idque hanc obrationem, quia Ecclesia a primis ejus initiis usque ad finem, per omnia secula, una est & eadem. Cujusmodi unitatem Metaphysici, in doctrina de *Idem & Diverso*, describunt; Navisque *Thesæi* exemplo explicare licet, quam, etiam post multas annorum centurias, factamque partium putrefactarum restitutionem successivam, toties mutatam, nec jam minimam amplius ex omnibus illis, quas olim habuerat, particulam servantem, eandem tamen adhuc esse, consuebant

Veteres, apud Alex. ab Alex. L. 3. Gen. Dier. c. 1. tum ob eandem, quam servaverat, formam, tum & ob partium ablationem mutationemque non simultaneam, sed successivam. Quemadmodum & Ulpiani etiam Judicio, *unus*, idemque grex est ac manet, ubi, una licet ovis alteraque subinde ablata, in earum tamen locum alia subinde succedunt, decessumque refarciunt. Quomodo & cum Ecclesia comparatum, quæ *unus* etiam censetur *Christus mysticus*. 1. Cor. 12: 12. Eph. 4: 12. Sic igitur Thessalonicenses ex ipsa prioris Pauli epistola perperam intellecta, dicti erroris sui cepisse ansam, aut saltem fomentum, videri possunt: nonnullis illam forte istum in sensum rapientibus, aliisque, ut ita quoque statuerent, objicientibus: uti hic ex verbis v. 2. *δι' ἐπιστολῆς, ὡς δι' ἡμῶν* per Epistolam quasi per nos scriptam, forte conjicias.

§. 8. Sed tamen & aliam insuper fuisse oportet rationem, quod illi in hunc sensum Apostoli verba tam perperam accipere potuerint: Cum utique primavorum Christianorum, ipsorumque etiam Doctorum, plurimi in eadem opinione, quod dies extremus tum jam prope esset, perstiterint: quam & jam ante scriptam priorem Epistolam apud Thessalonicenses quoque serpsisse, eosque vel idcirco Paulum de *Novissimis* primum consuluisse, ex c. 5: 1. facile quis colligeret) quam nonnulli eum, vel in seculum unum.

ad.

adhuc aut alterum differrent. V. Doodwell. Diff. Cypr. VII. §. 21. sqq. Ea in opinione, si non ipsi etiam Apostolorum *σύβρυχοι*, Barnabas & Clemens, (ut ex eorum, quæ hodie dum circumferuntur, literis videretur concludendum) Doctores certe alii primi temporis fuerunt: ut Hermes, in *Pastore*, L. I. Vis. 3. Lactant. L. 7. *Div. instit.* c. 14. & 25. Cyprianus præf. *Exhort. ad Martyr.* & Epist. 58. ad *Tiber.* item Tertullianus, in *Apologet.* c. 21: & L. *de Fuga in persec.* c. 12. ejusque *σύντροφος*, Judas, L. de LXX. *hebdom. Dan.* ab Eusebio hanc in rem allegatus. L. 6. *Hist. Eccl.* c. 3. Sed & communis illa Montanistarum fuit opinio, quorum etiam Vatem, Maximillam, palam jactasse, refert Epiphanius, *Heres.* 48. post ipsam nullam amplius Vatem fore, sed *consummationem.* Conf. de Apostolis ipsis etiam ante Sp. S. effusionem Act. 1: 6. Luc. 24: 21. Undenam vero ista persuasio? Mihi illa nata primum videtur tum ex male intellectis Christi verbis, quibus vel de suo post habitum ad Patrem reditu (per Spiritum) vel de suo ad extremum Judæorum supplicium adventu, quasi brevi post tempore futuris, locutus fuerat; (de illo vid. Joh. 14: 2. 3. 18. 19. C. 16: 16. 22. de hoc vero Matth. 10: 23. c. 16: 27. 28. c. 26: 64. Joh. 21: 22. conf. 1. Cor. 1: 7. 8. Phil. 1: 6.) tum &, vel imprimis, ex veteri illa Judæorum traditione, (Psal. 90. v. 4. in speciem stabilita, ubi *unus dies apud Dominum mille*

*annis æquiparatur,)* quod, uti *Mundus VI.*  
*diebus creatus, dies vero VII: Sabbathum* fue-  
rit; ita & sexies mille annis mundus ærumnis  
& calamitatibus obnoxius futurus, septimo  
vero millennio, in diebus nimirum *Messiaë*,  
felicissima pace beandus, sicque a Rege *Messia*  
ejusque populo beatissime possidendus sit,  
(vid. *Gemara Sanhedrin*, & præsertim *Coccej.*  
*ad c. XI. Sanhedr. §. 29. conf. & Julian. To-*  
*letan. L. 3. contra Judæos, sub fin. Abul-Pha-*  
*ragii Histor. Dynast. Arab. p. 75.*) Quod illis com-  
muniter *Sabbathum*, & in *Pesicta Rabbathi* ex  
*Psal. 90: 4. dies Messiaë millenarius*, itemque se-  
culum futurum (עלם הנב) dicitur, huic præ-  
senti seculo (עלם הנה) oppositum. Vid.  
*Witsii Dissert. de seculo præf. & fut.* (quo alias  
discrimine *Christus & Apostoli Veteris & No-*  
*vi Testamenti ævum distinguere solent.* Vid.  
*Matth. 12: 32. Eph. 1: 21. Ebr. 2: 5. c. 6: 5.*  
*Gal. 1: 4. 1. Cor. 2: 6.*) quo tandem elapso,  
regnoque adeo *Messiaë millenario consumma-*  
to, posterior demum universorum resuscita-  
tio & *Judicium* expectanda sint. Quæ vetus  
*Judæorum traditio*, a *Christianorum primis*,  
dictum etiam *Petri, 2. Ep. 3. 8.* cum ea confe-  
rentibus, eatenus videtur fuisse admissa, ut  
*VI. annorum millibus elapsis novissimum*  
mundi hujus ærumnosi diem, vitæ vero beatæ,  
in altero seculo initium, fore putarent. Vid.  
*Epist. Barnabæ. C. XI. Lactant. & Cyprian. II.*  
*ed. Quia vero istius ævi Christiani Græcis*  
dun-

duntaxat codicibus, & ea, quæ LXX. Interpretum dicitur, versione communiter utebantur, cujus Chronologia ab Ebræorum Codicum supputatione multis annorum centuriis differt, & a mundi creatione usque ad ista tempora, VI. fere annorum millia supputat, (ut Justinus Martyr, Theophilus Antioch. Tatianus, Tertullianus, Jul. Africanus, Clemens Alex. Origenes, Cyprianus, Lactantius, & jam ante illos, Josephus & Justus de Tiberiade, Judæorum Historici, imo & ante hos Demetrius Phaleræus, Philo, Eupolemus & Alex. Polyhistor, a Clem. Alex. L. I. Stromm. Eusebio, L. IX. de Prepar. Ev. & Josepho, LI. contra App. allegati, fecerunt) facile tunc sibi persuadebant, diem mundi novissimum prope abesse. Quo & factum est, (ut illud hæc quoque occasione nunc memorem) quod nonnulli eorum, nimis Judaïssantes, porro etiam crederent, fore brevi, ut Christus, ad *Sabbatum illud millennarium*, in terris celebrandum, cum *regno suo glorioso* cumque binis Testibus, Apoc. II: 2. sqq. memoratis, manifestaretur, & Anti Christum, tunc simul revelandum, post trium & dimidiis annorum tyrannidem, pessundaret, omnibusque dehinc gentibus & regnis sibi subditis, ac priori seculo clauso, *alterum* novum inchoaret; quo, revocatis in vitam Patriarchis, Prophetis, Apostolis ac Martyribus, cum ipsis in nova Hierosolyma, in impe-

rii tunc sedem magnificentissime restauratam, per istos mille annos tranquillissima pace & omnigena felicitate gloriosissime esset regnaturus: (vid. Justinus Martyr, *Dial. cum Tryph.* p. m. 88. sqq. Sulpitius Severus L. 2. *Hist. Sacr.* c. 4. Cyprian, *Diss.* XII. c. 20. 21. Hieron, *comm. ad Jerem.* c. 19: 10. &c.) quorum post decursum, omnes demum mortui resuscitandi essent atque judicandi. Quorsum referebant Matth. 16: 27. 28. c. 19: 28. ff. Luc. 20: 34. ff. & praesertim Apoc. 20: 4. 5. 6. 11. sqq. c. 21: 1. ff. Quæ omnia Judæorum fabulis, de Messia, quasi cum Henocho & Elia propediem venturo, Judæisque primum solis resuscitatis, & Antichristo (*Armilo*) devicto, omnibusque etiam gentibus subjugatis, Hierosolymæ M. annis gloriose regnatura, reliquis mortuis post exactum demum illud Sabbathum in vitam revocandis; esse analoga, patet. Vid. Jos. Medi *Dissert.* singul. *Commentario in Apocal.* subiecta, Burnetii *Theor. Tellur. sacr.* L. IV. c. 5. & Jac. Windetus, *de statu vita fundorum.* Sect. VII. &c. Sed in viam: postquam abunde jam demonstratum est, Thessalonicenses hic illa utique opinione de *die novissimo*, quasi tum jam propinquo fuisse imbutos, eamque cum hoc *Chiliasarum* errore ex eodem illo, quem hic aperui, fonte promanasse, quam hic adeo Paulus tam studiose refellit. Frustra nunc igitur Noster apostasiam, quam ille ante Christi adventum hic dicit adhuc expectandam, de-

defectione multorum ad Judæismum quasi ex-  
cidium Judæorum antecessura explicare, hanc-  
que etiam ex Matth. 24: 11. 12. & 24. sqq. pro-  
bare nititur; cum nec ibi tempus, ante deva-  
statam Hierosolymam elapsum, respiciatur,  
sed illud *postremum* sub N. T. quo 1. Tim. 4:  
1. sqq. dicebat Apostolus *nonnullos de fide dese-  
cturos, spiritus deceptores & doctrinas demoniorum  
sectaturos, prohibentium matrimonia contrahere, ju-  
ventium abstinere cibis a Deo creatis ad participan-  
dum cum gratiarum actione fidelibus.* Quæ apo-  
stasia, a Josepho Medo, libro Anglico, *Apostasy of the latter times*, accurate descripta, annon  
eadem illa sit, quæ hic Thessalonicensibus  
prædicatur, ipse judicet.

§. 9. Cum vero jam invicte, ut spero, evi-  
ctum sit, totum hoc Apostoli argumentum in  
alienam plane rem atque negotium ab Autore  
detorqueri, nullaque hic ratione tum diem ad-  
ventumque Christi, tum & seductionem at-  
que apostasiam, ad prima illa tempora posse  
revocari; reliqua sane, quæ ad sequentia  
etiam verba suæ hypothese concilianda com-  
mentus est, vana quoque esse & a mente Spi-  
ritus S. aliena, facile patet. Notandum ete-  
nim, Novum Interpretem vocabula *Apostasia,*  
*Hominis peccati, Filii perditionis, Adversarii,* arti-  
culo & omnia in fonte Græco insignia, sensu-  
que adeo excellentiori intelligenda, nimis te-  
nuiter, ne dicam quid aliud, explicare ex sua  
sententia debuisse. Neque enim *ὁ ἀνδραπώ-*  
*της*

ἄνθρωπος ἁμαρτίας, *Homo ille Peccati istius*, (apostasiæ)  
 Judaicus potest esse populus, quem hic ita  
 sensu colectivo, ut *Gallum & Hispanum* pro  
 universa natione dici, sibi persuadet: Sed  
 insignis primum ipse Apostata, a Christo ejus-  
 que veritate deficiens, deinde & aliis defe-  
 ctionis Autor, Autor, inquam, *Peccati illius*,  
 ἄνθρωπος ἀμαρτίας, quæ est plena illi a lege Dei &  
 Christi defectio, ἢ ἀνομία v. 7. conf. 1. Joh. 3:  
 4. quæ & ἢ ἀδύνατος injustitia illa est universalis  
 videlicet, quæ hic v. 10. 12. *veritati* Evange-  
 lii Christi opponitur, adeoque abnegationem  
 dicit plenariam veritatis divinæ s. Christianæ  
 & *Justitiæ* Christi, fidei imputandæ, Phil. 3: 9.  
 Com. 4: 11. conf. Actor. 13: 10. Unde est  
 illa *apostasia*, cujus hic autor, *Homo ille Peccati*  
*innuitur*: ut Jerobeam toties Autor Israëlitis  
 fuisse dicitur *peccati*, h. e. defectiois a vero  
 veri Dei cultu: vid. 1. Reg. 15: 26. 34. c. 16:  
 19. 26. Talem enim sub Novo etiam Testam.  
 introductum iri apostasiam per *Hominem* hunc  
*peccati*, hic docet Apostolus, antequam dies  
 Christi veniret: adeoque non unius & alterius,  
 singularem aut vulgarem, sed multorum  
 communem, quam ille articulo demonstrati-  
 vo notans, ἢ, *illa* inquit, *Apostasia*, quæ in  
 Prophetis & Psalmis, nec non a Christo, præ-  
 dicta. Ebraice ei respondet *יָשַׁב אֶת רַגְלֵי*  
*יָשַׁב* exuere dominum, obligationem parendi  
 abnegare, jugum excutere, funes rumpere:  
 ut Pl. 2: 3. Jer. 5: 5. dicitur. Vid. Esa. 1: 2.  
 Hos.

Hof. 8: 1. Ezech. 20: 38. Jer. 33: 8. & conf.  
 1. Reg. 12: 19. & 2. Par. 25: 8. 10. quam vocem  
 LXX. tum ἀφισαοθαί reddunt, tum ἀνομεῖν.  
 Homo ille peccati innuitur hic sub religionis &  
 sanctitatis larva ad tempus latiturus, ut vel  
 pro Sancto, imo sanctissimo etiam, habeatur;  
 Sed detracta ipsi tandem larva *revelandus*,  
 & tum appariturus, ut peccatis immerfus  
 quasi & imbutus, imo ex peccatis velut com-  
 positus mente & animo a Deo ejusque cultu  
 vero alienissimus, omnisque iræ reus. Et  
 Homo ille Peccati (ut ex iis, quæ deinde v. 7.  
 9. sq. dicuntur, liquet,) oppositus intelli-  
 gitur etiam titulo *Hominis Dei*, 2. Petr. 1: 21.  
 1. Tim. 6: 11. h. e. Servi Dei, Prophetæ,  
 Apostoli, Doctores Ecclesiæ, ut indicetur Ser-  
 vus Satanæ ad omne mysterium peccati &  
 iniquitatis, ad destructionem Ecclesiæ, ad  
 eradicationem fidei ac pietatis, seminatio-  
 nemque mendacii, scortationis & omnis tur-  
 pitudinis.

§. 10. Neque etiam, cum *Filius iste Perditio-  
 nis illius* hic dicitur, indicatur tantum, eum  
 misere tandem iri perditum, ut Noster exponit,  
 (*destiné a perir miserablement*), sed & illum, ex  
 Perditione, ex Perditore, Satana, ex Infer-  
 no, (v. Apoc. 17: 8. coll. 1. Cor. 10: 10.)  
 quasi natum & missum, perditissimam fidei  
 morumque corruptionem in Ecclesiam Dei  
 invehiturum, tanquam *filiam Beliaal*, (בְּיָהוּא a  
 שָׂדֵי, nihil, & שָׂדֵי prodesse,) quod est & valet ἀπώλειαν  
 περ-

perditio; Hæc enim illi, tum ut Auctori, tum ut Subjecto, hac phrasi attribuitur. Ita Petrus 2. Ep. 2: 1. 2. 3. *Inter vos erunt falsi Doctores, qui clam invehent hæreses perditionis, (ἀπωλείας) Dominum etiam, ipsos mercatum, abnegantes, sibi ipsis subitam accersentes perditionem, (ἀπώλειαν). Et multi sequentur ipsorum perditionem, (ἀπώλειαν) per quos via veritatis blasphembitur: Et per avaritiam fictis sermonibus vos negotiabuntur: quibus Judicium jam olim non otatur, et quorum perditio (ἀπώλεια) non dormitat.* Alludit vero hic nomen υἱός, *Filius* nimirum perditionis, ad vanam illam jactantiam, qua se Anti-Christus, tanquam Christi vicarius, pro Christo, *Filio*, (nobis dato, Esa. 9: 5.) *Filio* inquam, Dei, Ecclesiæ esset obtrusurus, quasi ille in ipso spectetur; & tanquam hæres regni Dei, thronum ejus occupaturus: quod certe deinde, v. 4. ipsi attribuitur. Ut hoc contra innuatur, non eum esse *filium* Dei, sed Diaboli, hostem omnis justitiæ, pervertentem rectas illas Domini vias; (Act. 13: 10.) non ex cælo, sed ex inferno; non hæredem regni, sed *perditionis* & exterminii, stagni igne & sulphure ardentis: Apoc. 19: 20. & cum ille sit *Servator* & *Liberator* suorum (σωτήρ καὶ λυτρώτης,) hunc contra *Perditionis filium*, h. e. *Perditorem*. Alluditur item ad *Judam*, *proditorem*, qui eodem nomine insignitur Joh. 17: 12. adeoque eo hic innuitur, *Anti-Christum genuinum* Judæ, *discipuli Christi* & Apo-

Apostoli Apostatici, hostisque & proditoris  
 ejus, esse ἐκτυπον atque imitatore[m] verissi-  
 mum; confessionem licet verbi veritatisque  
 Christi, cujus se discipulum usque simulet, &  
 Apostolum jactet, præ se ferentem: Sicut Ju-  
 das à יָדָה, in fut. Hiphil יִדָּה joda, h. e.  
 confitebitur, celebrabit, adeoque a confessione &  
 celebratione Dei ejusque verbi, nomen gessit,  
 illaque etiam ut Apostolus Christi & Ecclesie  
 Doctor aliquandiu functus est: Imo & Iscario-  
 tem, קַרְיֹתַי אִישׁ virum civitatum, h. e. re-  
 gnorum mundi, sive etiam (plurali magnitu-  
 dinem & excellentiam tantum exprimente;  
 ut in כְּהַמּוֹת Bestia Job. 12:7. c. 40:20. ff. &  
 חַכְמֹת Sapia[n]tia Prov. 1:20.) civitatis illius  
 magnæ, v. Apoc. 17:18. Christum ejusque  
 veritatem, quam initio confessus ipse quoque  
 est ac celebravit, postea vero deficiendo de-  
 seruit & abnegavit, prodentem, avaritiæ lu-  
 eroque deditum, & mundi opibus inhiantem,  
 (vid. 2. Petr. 2:3. 15.) istaque iniquitatis mer-  
 cede dementatum, ipsum, in membris certe  
 suis, ad mortem denuo, in spiritali illa Sodo-  
 ma perpetiendam, tradentem. Apoc. 11:8.

§. 11. Sed & procul dubio *Filius perditionis*  
 τῆς ἀπωλείας idem hic est, qui Apoc. 9:11.  
 ἀπολλύων, h. e. *Perdens*, & Ἀββαδδών, אַבְדֹּן *Perdi-*  
*tio*, sive etiam (abstracto hic, ut Drusius existi-  
 mat, pro Concreto posito,) *Perditor*. Ex qui-  
 bus etiam *Anti-Christi*, certe secundum pleros-  
 que Interpretes, nominibus, vis istius appella-  
 tio-

tioniseo clarius elucescit. Ille vero ibi v. 1. *Angelus abyssi, & stella cælo delapsa*, dicitur, *clavem habens fontis abyssi*, qua istum aperiat, & *fumum* quasi camini magni inde emittat, v. 2. 3. ex quo *locusta*, v. 4. sqq. descriptæ, proveniant; quarum ipse *Rex* sit. Hoc enim nequaquam in Judæos, eorumve *Sanbedrin*, sed in illum, convenit, qui olim quidem ut *stella matutina* in cælo ecclesiæ s. regno cœlorum fulsit, ast, ob superbam *sui super alias stellas Dei elationem*, de cælo *decidit*: ut de mysticæ Babylonis Rege Esa. 14: 12. 13. 14. legitur; (quod & Gregorius Magnus, Lib. 4. Epistol. c. 82. de eo, qui se *Episcopum Ecclesiæ universalem* appellaturus esset, pronunciat,) ad quem & Gal. 1: 9. digitum intendit Apostolus, ubi illum, æque ac ipsius anteambulones, Pseudapostolos, ob allatum aliud evangelium novum, iisdem, quæ in istos v. 8. dixerat, verbis repetitis anathemate devovet. Qui vero quis sit. quique ejus *Satellites*, *Locusta* illæ, apud Apocalypseos Interpretes, quorum plerique rem acu hic tetigerunt, videri potest; & fideles norunt: Nos enim illud non agimus. Hoc tantum dicimus. patere ex illo tum Ebræo tum & Græco nomine, talem eum futurum, qui tum Græcos s. Gentes tum Judæos, universamque adeo Christi Ecclesiam ex utrisque congregatam, seducturus sit ac perditurus: veluti Christus, qui venit servatum & Judæos & Græcos s. gentes, (Rom, 3: 29. 1. Joh. 2: 2.) non solum Ebræum

nomen *Jesus* יֵשׁוּעַ Servator, (secundum Sy-  
 rorum prononciationem) à *ישׁוּ* servare;  
 sed & Græcum, *Christus*, χριστός, Unctus, (a  
*χρίω*, ungo,) habet. Quemadmodum &  
 cum Gal. 4: 6. Rom. 8: 15. Christiani, Spi-  
 ritum adoptionis adepti, clamare per illum, di-  
 cuntur, אבא, Abba, πατήρ, Pater nomine  
 illo tum Ebræo tum Græco indicatur, eos fi-  
 liali fiducia Deum, Patrem suum, invocare  
 posse, non solum inter Judæos, sed & Græ-  
 eos s. Gentes, tanquam eorum omnium cum  
 Christo, fratre suo primogenito, hæredes  
 v. 17. 29. coll. Jer. 3: 19. Ps. 2: 8. Atque ita  
 rursus ille Christo intelligitur oppositus. Sed  
 & clarius in eo, quod illi v. 1. d. Apoc. 9. *Clavis*  
*fontis abyssi* (non vero etiam cœli; quam  
 tamen habere se, itidem jactat,) adscri-  
 bitur; quemadmodum Christo Apoc. 1: 19.  
*clavis inferni & mortis*. Unicum addo: nomen  
 אבדון *Abaddon*, ibi non obscure quoque indi-  
 care illum, qui se gerat pro אבדין, abhdin,  
*Patre Judicii*, cujus solius sit, omnes & omnia  
 judicare, a nemine vero judicari: (vid. Extravag.  
 comm. de majorit. & obed. c. 1. it. Dist. 96. Cap.  
 satis evidenter.) Nomen autem ἀπολύων allu-  
 dere ad eum, qui jactatione sua sit ἀπολύων,  
 h. e. solvens, h. e. qui solvere possit homines,  
 cum vivos, tum etiam mortuos, a peccatorum  
 reatu & pœnis, ab obligatione juramenti ac le-  
 gum quarumvis, & subditos quoque a vinculo  
 obedientiæ &c. Quo ipso vero ἀπολύων re-

vera sit, & **פּוֹרֵץ** perditior perditissimus, quia ipsa perditio, & **ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας** ille Filius Perditionis; uti hic maxima cum emphasi dicitur.

§. 12. Nec tamen unam præcise personam intelligendam esse, Apostolus hic indicat, eum articulum aliquoties repetens scribit, **ὁ, ille Homo Peccati, ὁ, ille Filius Perditionis, ὁ Ἀντιχρίστου, ille Adversarius.** &c. Anti-Christi enim multi sunt; 1. Joh. 2: 18. Unus **ὁ Ἀντιχρίστου**, vel omnium Antichristorum corpus est, vel e multis eximius. Non distinguuntur enim hoc modo homines multi ab uno, sed varia genera Christo se opponentium, ab uno genere, gente, fraternitate, ordineque hominum, singulariter se Christo opponentium, certa quadam & eximia ratione. Hoc cum multa arguunt, tum temporis longitudo, in hujus mysterii iniquitatis præparatione, seductione omnium, velatione & revelatione per facta verbumque Dei, consumptione & abolitione. Nam Apostolus prima hujus mali initia a suis temporibus ad mundi usque finem perducit. Sed & unus dicitur Homo peccati, Filius perditionis, Adversarius; quia omnes istius ordinis sunt *Monarchæ*. Jam constat, integram Regum **δυνασείων**, & omnes unius ejusdemque regni Reges, unum Regem a Daniele c. 2. & 7. appellari: Populum item, gentem, familiam, magistratum ac Regem, semper cenferi *eundem*, quando posteriores in decessorum

rum veniunt locum, nomenque & jus idem obtinent: Ut *Cesarum, Regum, v. c. Franciæ Hispaniæ & Paparumque* series, singulari vulgo numero, *Cesar, Rex Francus vel Hispanus, & Papa*, communiter dicitur. Sed neque hoc diffitebitur Noster, licet, colectivo hic sensu totum populum Jud. *hominem peccati* dici, putet, ut *Gallum* dicimus & *Hispanum* pro tota natione. Quomodo tamen verba illa, etsi alias illud significare possint. (ut Eph. 4: 22. Col. 3: 9. Rom. 6: 6. nonnulli per *Hominem Veterem & corpus peccati*, Judaismum etiam, seu corpus populi Judaici, sub Vet. T. legi Mosis olim obnoxium; per *Novum* contra *hominem*, Christianismum, s. Israëlem novum, sub gratia Novi Test. lege Spiritus libertatis gaudentem, Rom. 8: 2. ex Judæis pariter & gentibus collectam, Ephes. 2: 14. sqq. intelligunt) hoc loco non posse accipi, jam demonstravimus. Sic & licet populus Jud. sive Synedrium, *Αντιμέθεν*, *Contra positus* s. *Contrarius Christi*, dici potuerit (quemadmodum 1. Thess. 2: 15. 16. Judæi, ut Christi & Apostolorum hostes, regnoque Christi in gentibus *ἐναντίοι adversantes*, describuntur: vid. & Luc. 13: 17. c. 21: 15. 1. Cor. 16: 9. Phil. 1: 28.) hic tamen procul dubio cum emphasi quoque singulari vox illa accipienda est, ut insigniorem hunc hostem ab aliis gregariis distinguat. Est *מלך ירב* Hos. 5: 13. c. 10: 6. h. e. *Rex litem contra movens, contradicens, nimir. vero Regi; qui Christo con-*

troversiam regni facit, hostiumque Christi Dux est & antesignanus, sicque ei *contrapositus*. Christus κείται *positus est* in signum ἀντιλεγόμενον, *cui contradicitur*. Luc. 2: 34. Hic ἀντιλέμεν⊗ est præcipuus τῶν ἀντιλεγοντῶν *eorum qui ei contradicunt, s: litem intendunt*. Qui: *quis Regem se ipsam*, aut Monarcham Ecclesiae facit, ἀντιλέγει *opponit se Christo, Regi ejus vero atque unico: dicere jure possumus ex Joh. 19: 12. Est igitur talis hic Adversarius, qui se opponit ejus regno, illudque in regnum mundi convertere ac sibi subjicere, & sic veros fideles opprimere, nititur; Christianismum opponens Christianismo.*

§. 13. Sed ut ita vocem hanc etiam de *Synedrio & Pseudapostolis Judæorum*, sensu quamlibet tenuiore, accipiamus, verba non sinunt sequentia v. 4. *Super - extollens se supra omnem Deum dictum, aut colendum. &c. conf. Dan. II: 36. Hæc enim, quæso, quomodo de Synedrio aut Pseudapostolis vel ulla ratione aut veri similitudine intelligi possunt? Et quam alienum est, obsecro, illa sic explicare, ut sensus sit, Qui se effert supra omnem religionem, supra omnes, qui dicunt, se verum Deum habere aut nosse? quasi diceretur, ἐπὶ πάντι λεγόμενον θεῶ, *supra omnem, qui dicitur Dei esse, vel, quasi λεγόμεν⊗ Θεόν, esset, qui nominat Deum, (ut 2. Tim. 2: 19. dicitur, omnis qui nominat, ὀνομάζων, nomen Christi.) Sed Autor ipse hæc verba sic transtulit, supra omnem, qui Deus appellatus est. (qui est appellé Dieu.)**

Dieu.) Quam frigida vero sunt, & a verborum  
 Apostoli cum sono tum sensu aliena quæ por-  
 ro ad ea commentatur? Hisce videlicet notari  
 Judæorum superbiam, jactantium quippe, se veram  
 esse ecclesiam, a Deo electam, solam ab ipso salvan-  
 dam: tum & ipsorum blasphemias, quippe dicturo-  
 rum, non esse penes Christianos, recens conversos,  
 verum Deum, non esse veram ipsorum religionem, nec  
 verum illos Deum colere. Ideoque subjungi etiam,  
 ou de tout culte, qui se fait a Dieu, sive supra  
 omnem cultum, qui Deo præstatur: (ita reddit  $\alpha\iota\beta\alpha\sigma\mu\alpha$ ;  
 quod Syrus reddit  $\alpha\lambda\eta\eta$ ) quasi ni-  
 mirum non alius sit cultus Dei, quam Judaicus. Dii  
 dicti, vocantur in Scriptura, quoscunque Deus  
 participes facit ullius auctoritatis, dignitatis, ac  
 potestatis, ut ipsius nomine aliis præsent. Ita  
 I. Cor. 8:5. 6. scribit Paulus; *Quoniam sunt,*  
*qui Dii dicuntur, & in cælo & in terra:* (h. e. in  
 Judaismo & Gentilismo, v. Hagg. 2:7. Ebr. 12:  
 26.) *sicut sunt Dii multi & Domini multi: nobis*  
*tamen Christianis unus est Deus, Pater, ex quo*  
*omnia,* (h. e. qui Judæos juxta & gentes præco-  
 gnovit, & præordinavit ad salutem, I. Cor. I:  
 30. 2. Cor. 5:18.) *& unus Dominus, Jesus Chri-*  
*stus, per quem omnia:* (h. e. qui Judæos & gen-  
 tes suo sanguine redemit, suoque Spiritu in  
 unum, corpus gregemve, conglutinavit aut  
 congregavit. I. Cor. 12:12. 13. Joh. 1:3. c. 10:  
 16. c. 11:52. Gal. 3:20. 28.) *ubi & hoc addit,*  
*Nosque fideles ex Judæis, uti ex Deo, ita & ad*  
*Deum, h. e. ad id ab eo sumus præcogniti, ut ipsi*

esse honoris, ejusque promissionem nostro  
 ministerio, nempe vocatione & conversione  
 gentium, impleamus: Sed *per Dominum*, h. e.  
 per Christum ad hoc a lege redempti, & liber-  
 tate donati. Gal. 3: 13. 14. c. 4: 5. conf. &  
 Rom. 11: 36. *Dii dicti* itaque Paulo sunt homi-  
 nes in eminentia constituti, obsequio colendi,  
*Dique* appellati, vel ab ipso Deo, ut Judæorum  
 Principes. Psal. 82: 6. coll. Exod. 21: 6. c. 22:  
 6. 28. Joh. 10: 34. sq. Act. 23: 5. Gal. 4: 8. vel  
 ab hominibus, vid. Esa. 42: 17. Quare, addita  
 statim limitatione, illos quidem, quos Deus ipse  
 Deos dixerat, & quibus, ceu Dei vicariis, no-  
 men Deorum hactenus jure quodam conve-  
 niebat, Deos appellat; hos vero, quibus vel  
 superstitio, vel adulatio hominum, istud no-  
 men attribuerat, ad corrigendum quasi abu-  
 sum, *Dominos* duntaxat nominat. *Σέβασια*,  
 non est *σεβασμὸς*, cultus s. veneratio, ut Noster  
 explicat, sed *ὁ νόσ σεβάζεσθαι*, quod quis venera-  
 tur s. colit. Posset quidem generalius accipi,  
 pro eo, quod in veneratione est; sed, cum &  
*majestatem Cesaream* Romanorum Imperato-  
 rum, qui *σεβαστοὶ* colendi appellantur, Act. 25:  
 21. 25. c. 27: 1. denotare queat, hoc illa loco  
 potius venit intelligenda: Sensusque adeo est,  
 Anti-Christum sibi potestatem palam arrogare  
 in omnes, quos scriptura & Deus ipse verus  
 appellat Deos, quosve ulla autoritate & emi-  
 nentia, in ordine cum politico tum & ecclesia-  
 stico, ornavit; inque ipsos adeo Imperatores  
 Ro-

Romanos; contra Rom. 13: 1. Quæ ejus nota cum ea convenit, quam & Petrus 2. Ep. 2: 10. 11. ac Judas, Ep. v. 8. 9. habet, itemque Daniel, c. 11: 36. ubi Angelus ait; *Rex ille super extollet & magnificabit se supra omnem hanc potentem sive Deum dictum &c.* Ad quem locum Paulus hic omnino respexisse dicendus est: quanquam illa ibi verba altiora etiam respicere videantur, quæ & sub Imperatoribus Romano-gentilibus gesta sunt, non autem in illum præcise tantum dici, qui in extremo hujus Tragoediæ actu Antichristi personam agit: De quo huc quæ omnino pertinent, apud Natalem Alexandrum, Dominici sectatorem ex Prædicatorum Ordine, T. VI. *Hist. Eccles.* p. 690: sqq. & Eliam du Pin, Sorbonæ nuper Doctorem Celeberrimum, in de *Disciplina Eccl. Vet.* aliosque, legi possunt. Et vel unum hic instar omnium inspici meretur exemplum, perquam illustre & memorabilissimum certe, quod ipse Maimburgius, Jesuita, in *Historia Schismatis Græci* suppeditat, L. VI. p. 222. Attamen & cum eo conferri, quod Jesaias, ad illud ipsum digitum quasi intendens, vaticinatus est, c. 14: 13. 14. quodque Gregorium M. Romanæ Sedis Episcopum, suo quondam tempore de *Universali Ecclesiæ Episcopo* (si quis ita salutari amet,) interpretatum esse, jam supra diximus.

§. 14. Quomodo vero ista in Judæorum primores convenire possunt? Certe hi ipsi

ejusmodi *Dii dicti* fuerunt: V. Joh. 10: 34. 35.  
 Illorum vero emissarii, Pseudapostoli, se supra  
 illos non extulerunt, sed ipsorum potius com-  
 modis studiosissime velificati sunt, novo suo  
 Evangelio, lege Mosis temperato, verum ac-  
 merum Apostolorum Evangelium obscuratu-  
 ri, si pote, & fideles ex gentibus in servitu-  
 tem legis & obsequium Deorum dictorum re-  
 ducturi. V. Act. 15: 1. 5. Gal. 1: 6. ff. c. 2: 2.  
 4. c. 3: 1. c. 4: 9. sqq. & 17. e. 5: 1. 2. 3. 7-12.  
 c. 6: 12. 13. 2. Cor. 11: 3. 12. sqq. Phil. 3: 2. sq.  
 18 sq. Rom. 16: 17. 18. &c. Neque hi neque  
 illi contra Majestatem Romanorum Imperato-  
 rum se extulerunt, eam ut sibi subjicerent,  
 cui se ultro submittebant, quippe Cæsarem  
 unicum *Regem suum* agnoscentes, Joh. 19: 15.  
 & Christum eo nomine accusantes, quod Cæ-  
 sari se opponeret. Luc. 23: 2. Joh. 19: 12.  
 conf. Act. 24: 1-3. Multo adhuc minus in il-  
 los quadrat, quod Apostolus d. v. 4. porro  
 subjicit, *Antichristum sedere in templo Dei, sicut  
 Deum, semetipsum declarantem, quod sit Deus.*  
 Quæ extremum superbissimæ elationis  
 ejus gradum ostendunt, & respiciunt ad  
 illa Dan. 11: 36. *Saper Deum Deorum ad-  
 mirabilia loquetur:* nec non ad Dan. 7:  
 25. & Ezech. 28: 2. 9. quæ loca videantur.  
 conf. & Apoc. 13: 5. &c. Novus Interpres, ut  
 illud ad Antichristum suum Judaicum, dudum  
 abolitum, quomocunque accommodet,  
*His, inquit, superbam Judeorum elationem adhuc  
 indicari luculentius, qui, se solos esse veros templi Hie-  
 roso-*

rosolymitani possessores, gloriati sint, quasi non aliud, præter illud, existeret: Ita ut se in eo collocarint, tanquam Deus, & pro Deo haberi voluerint, h. e. pro eo, quod verum haberent cultum, qui in ipsorum templo præstaretur, & quod non alia esset religio, quam quæ in ipsorum Ecclesia vigeret. Non video equidem, nec assequi ulla ratione possum, quomodo hæc ex Apostoli verbis (quæ ipse tamen ita recte transtulit: *Jusqu' a s' assoir comme Dieu dans le temple de Dieu, voulant lui même passer pour tel*) extorquere potuerit. Postrema quidem ipsum jam supra ex voce *σεβασμῶν* (quam *culte*, *cultum* sc. religiosum, transtulit,) elicuisse, vidimus: Sed quam procul cetera omnia ab istis Apostoli verbis abludent, quamque indigna sint adeo, quæ refutentur pluribus, nemo non videt.

§. 15. Hæc vero principalissimam Antichristi notam, ab aliis Christi hostibus eum clarissime distinguentem, exprimunt. Neque magis tamen illa, quam superiora, inferunt, illum eo progressurum insolentiæ, imo blasphemix, vel potius insaniæ atque stultitiæ, ut neminem alium, præter se ipsum, agnosci Deum velit, hancque fidem aliis totidem verbis expresse imperet: (quæ temeritas certe intolerabilis, nullum profecto locum invenire posset) neque, *in templo Dei sedere*, necesse est, hic denotare, in domo aliqua materiali eum occupare locum, quem e. g. Deus umbratice tenebat in templo Salomonis, vel idolagentium in ipsorum fanis: Sic enim *Mysterium*

rium non foret iniquitatis, longo tempore, & inde ab Apostoli jam ævo, in occulto operatum, uti hic v. 6. 7. 8. dicitur; sicut sero demum tempore, remoto, quod ante obfuerat, obstaculo fucata hujus *Αἰμας impietas* plane manifestanda sit & dehinc prostituenda. Venit utique omni cum dolo & fallacia v. 10. Templum autem Hierosolymitanum, tum adhuc extans, hinc indigitari; (quod Autor cum suo Grotio gratis supponit,) tam falsum est, quam quod alii, aliud novum, olim restaurandum, intelligi, suspicantur. Christus Matth. 23: 38. Templum, quod tum erat, domum non Dei, sed *Judeorum*, appellat, ut honorifico isto nomine indignum, speluncam quippe furum & latronum. Luc. 19: 46. Joh. 10: 8. Quare *ναὸς Θεοῦ templum Dei* hic Veteris templi est *ἀντιστοιχείω*, videl. vivum, ex vivis lapidibus constructum, 1. Petr. 2: 5. Ecclesia Christiana, *Domus Dei vivi*, 1: Tim. 3: 15. quatenus nempe externa ejus spectatur communio: (neque enim ædificium, congregationi ad publici cultus exercitium destinatum, ullibi *ναὸς* a scriptoribus sacris appellatur) in qua sedere Antichristum, ut Deum, &c. est, cathedram, & decendi judicandique potestatem, in illa sibi arrogare; atque in eo se ita gerere, ut non tam dicat, quam monstret & ostendat, quod sit Deus, (uti metonymia sedendi ubivis potestatem denotat, vid. Matth. 19: 28. c. 20: 21. 23. c. 23: 2. c. 26: 64.) Cum enim in ecclesia N. T. libera non obti-

obtineat amplius Cathedra, quam homines teneant, singulari docendi privilegio & autoritate præ aliis insignes, multoque minus Judices, potestate alia, quam demonstrandi ad conscientias veritatem in rebus fidei utentes (Jerem. 31:34. Ebr. 8:11. coll. Matth. 23: 2. 3.) ille revera *καθίστα* in Ecclesia, qui eam sibi arrogat: Sedetque in ea ut *Deus*, & se ipsum demonstrat, quod sit *Deus*, cum ita se gerit, quasi esset *Deus*, divinam scilicet usurpans autoritatem ac potestatem. v. gr. si dicat, se esse Regem, Dominum, caput, universæ Ecclesiæ; se solum habere potestatem mittendi inaugurandique Ecclesiæ ministros, nec non peccata remittendi per modum jurisdictionis, ferendi leges, ad cultum Dei pertinentes, *ἀνυπερδύτως*, infallibiliter definiendi credenda & agenda ad salutem necessaria, dispensandi de legibus Dei, determinandi sensum Dei in Scriptura S. absque demonstratione; imo suæ autoritati deberi, ut Scriptura S. autoritatem habeat, & pro divina agnoscat, suaque etiam præter illam dictata pari cum ea pietatis affectu esse accipienda &c. etsi vel maxime ipsum nomen *Dei* vel *Vice-Dei*, aut *divine majestatis*, non admittat, sibi que tribui, ferat.

§. 16. Et hæc tam vera atque certa est expositio, ut nec unum, vel minimum, eorum Antichristus in se patiatur desiderari, aut vel latum unguem, imo pilum, inde discedat. Interea clariorem horum explicationem petere licet

licet ex libris Decretalibus Romanorum Pontiff.  
eorumque glossis: Ubi vid., inter alia, Bonif.  
VIII. in Extravag. de Major. & obed. cap.  
Unam Sanctam: & Extrav. de Concess. prebend.  
Cap. ad Apostolorum: it. de Electione & Electi  
potest. in cap. Fundam. in glossa, & in procem.  
Clementinarum in glossa: Rursus in Extra-  
vag. de Verb. signif. Ca. ad Conditorem: it. Dist.  
96. cap. Satis evidenter. Extrav. comm. L. 1.  
tit. 1. cap. unic. & Extravag. Johann. XXII.  
Tit. 14. c. 4. in glossa. Adde L. 2. Tit. 23. de  
presumptionibus, c. 1. in glossa, & Dist. 40. Li-  
bri Decretalium de Ann. 1591. ed. Lugdun. con-  
fer & Dictatus Gregor. VIII. qui leguntur in L. 2.  
Epistoll. ejus, post Epist. LV. &c. &c.

§. 16. Sed pergendum ad reliqua. Ubi  
jam Noster denuo, quod v. 6. & 7. dicit Apo-  
stolus, *Esse suo evo, quod obstet*, quo minus An-  
tichristus jam tum, sed ut olim, suo demum  
tempore, reveletur, eo nimirum, quod hactenus  
obstet, sublato, ita explicat, aut contorquendo  
pervertit: *Judaismum non ante manifesto Judicio  
aut supplicio toti mundo ob oculos positum & exci-  
sum iri*, (hoc enim ipsi significat ἀποκαλύπτειν, &  
revelari) quam ille, qui eventuram Christianorum  
apostasiam, & Judicium in Judæos, cum illo nexum,  
hactenus impediret, e medio tolleretur: Nimirum  
ipse noster Apostolus, ejusque cura sollicita, zelus  
pius atque laboriosa industria; (quæ ille, tan-  
quam Thessalonicensibus satis comperta, mo-  
deste hic premat) quibus Judæorum machinationes &  
Pseu.

Pseudapostolorum molimina haecenus eludantur; post  
 ipsius vero obitum, iniquitatis Judaicae mysterium iri  
 revelatum, ubi Judaei, magnam causati a fide Christia-  
 na defectionem, statim universo terrarum orbi in ex-  
 emplum Judicii & poenae publice sint proponendi.  
 Nam & quod v. 7. addit Apostolus, *Mysterium*  
*iniquitatis suo jam tum aeo in occulto esse operatum,*  
 nihil ipsi est aliud, quam *Justissimum Numen* se  
 jam tum parasse ad vindictam, de Judaeis impiis su-  
 mendam, & nonnullas ipsorum poenas, atque Judi-  
 cia quaedam, jam coepisse manifestari, ita ut myste-  
 rium etiam iniquitatis sint occulta Dei Judicia in fal-  
 sam Judaeorum religionem cultumque Dei & Legis  
 praeposterum, omnesve eorum abominaciones ac mali-  
 tiam, in Christo & Christianis tunc testatam, (quae  
 omnia hic ἀνομία defeccio a lege, s. iniquitas, ap-  
 pellentur,) Unde & ex Josephi de Bello Jud.  
 libris illos divinorum Judiciorum gradus me-  
 morat, quae in Judaeos paulatim invaluerint,  
 donec res eorum prorsus pessum ierint. Quis  
 non indignetur, illustrem hanc Spiritus S. pro-  
 phetiam sic eludi, & verba quibus ea descripta  
 est, momentosa omnino & significantissima,  
 ita enervari, imo prorsus perverti, inque sen-  
 sum alienissimum detorqueri? Sed ita Noster,  
 suae serviens hypothese, instituire necesse ha-  
 buit, ut haec dicta, illi minus convenientia, ad  
 eam vel aliquantulum accommodaret, vel potius  
 cum ea conciliaret. Certe enim τὴν ἀνομίαν  
 s. defectionem a lege hic longe plus habere in re-  
 cessu, ex collatione eorum, quae supra ad v. 3.

§. 9. de ἀνομοία, (quæ itidem defectionem a Deo notat,) dicta sunt, manifestum est: & *Mysterium* quidem ἀνομίας istius, longe esse aliud, quam novus interpres sibi persuadet, nobisque coactissima illa vocis *Mysterii* & ejus *revelationis* expositione persuadere cupit, vel cuivis patet. Annon, quæso, Apostoli jam ævo illa Judæorum iniquitas erupit & manifesta fuit, cum non minus tantum & persecutionibus fidem Christianam extirpatum iverunt, (quod vel *Apostolorum* passim testantur acta, conf. 1. Theff. 2: 15.) sed & Pseudapostolos subornarunt, qui rem insidiis agentes, simulata fidei professione, blandisque verborum uli lenociniis, (v. Rom. 16: 17. 18. 2. Cor. 11: 3. 13. sq. Gal. 2: 4. c. 3: 1. &c.) evangelium, lege temperatum, tacite abrogarent, Discipulosque Jesu, in Mosis disciplinam redactos, legi legisque custodibus, Diis dictis, in cathedra Mosis sedentibus, subjicerent. Nec demonstrari potest, hos, postquam fideli Apostolorum cura, & vigili industria ac zelo, in versutia sua deprehensi, & tanquam *vulpecula, vineam Domini vastantes, capti excisique*, Cant. 2: 15. sive ex Ecclesia semel ejecti sunt, Gal. 5: 12. deinde brevi ante Hierosolymæ excidium de novo Ecclesiæ fuisse molestos. Sed autor ideo verbum *revelari* & vocem *mysterii*, de Judicii ac poenis divinis, Judæis idcirco postea inflictis s. infligendis, explicare voluit; cum tamen hæc versu 8. demum memorata, a revelatione

Antichristi & mysterio iniquitatis ejus, ceu illis posteriora, manifesto distinguantur. Et, quam frigida quoque est τῆ κατέχοντος, illius, quod obstat revelationi ejus, explicatio?

§. 17. Hæc vero omnia multo luculentiore, imo & certissimam, inveniunt interpretationem in communi Theologorum Evangelicorum de Antichristo sententia. Nimirum, prædixerat Apostolus, venturam Apostasiam ante ultimum Judicium; eamque ita venturam, ut ὁ ἄνομος, Exlex ille Homo ille Peccati, reveletur. Hinc ostendendum erat, quam prope tempus revelationis ejus abesset. Itaque dicit v. 6. eum, nunc, sive Apostoli ἔτι, detineri & impediri, quo minus in apertum jam prorumpat, aut libero gradu procedat: non tamen ita impediri, quo minus in occulto se jam moveat. Mysterium ἀνομιᾶς, est idem quod ἀποστασίας, defectionis. Dicitur vero Mysterium in oppositione ad revelationem. Est igitur ἀνομία tum in mysterio s. occultatione, tum in revelatione s. demonstratione. In Occultatione, per præparationem Satanæ, omnia molientis ad defectionem; dum interea crescit Ecclesia per prædicationem Evangelii. Zizania enim simul spargit Satanæ. Matth. 13: 25. 39. Et huc pertinet, quod Apostolus hic v. 9. sq. dicit, Adventum Antichristi esse secundum operationem Satanæ - - in omni fallacia. Quæ Noster quidem etiam Judæis suis applicare, invita licet rerum historia,

ria, conatur; allegans locum Matth. 24: 24. quasi ibi de Judæis eorumque emissariis, Pseudapostolis, sermo sit; quod tamen falsum esse, jam ante demonstratum est. (Utrobique certe manifesto satis de Anti-Christo Romano sermonem esse, quilibet rerum intelligens, nec plane Hospes in historia, facile perspicit.)  
 β. In *Demonstratione*, ubi Homo ille Peccati sine dissimulatione se in omnem dictum Deum, aut cultum, extollet, inque templo, h. e. Ecclesia, Dei sedebit aut regnabit. *Sine dissimulatione*, inquam; profecturum enim illum sensim in pejus, & a clandestina machinatione ad publicam professionem eorum omnium, quæ ipsum esse professurum, & Ecclesiæ intenturum Scripturæ prænunciarunt, satis intelligitur. Ex quo demum tempore proprie ἡ ἀποστασία, ἡ ἀνομία & ὁ ἀνομιῶν dicitur. Dehinc explicat Apostolus, *quamdiu impediendus, & num statim, ex quo revelatus abolendus etiam sit Antichristus.*

§. 18. Quod ad prius attinet, docet Apostolus, nihil eum ejusve revelationem esse impediturum, nisi quod tunc impediēbat; v. 6. quo amoto, (ne videl. tantum valere amplius possit, ut impedi progressus queat,) revelatum eum iri. Nam inquit v. 7. *Mysterium jam operatur defectionis tantum, donec e medio abeat, ὁ κατέχων ἄρτι, qui hodieum impedit* (ita enim verba, in Græco trajecta, collocanda sunt.) q. d. eo usque tantum in occulto operatur my-  
 ste-

sterium s. arcanum defectionis a lege Christi, ex illo paullatim nascituræ, donec præsens obstat *impedimentum*, τὸ νῦν κατέχων: eo vero, qui nunc *impedit*, e medio remoto, non amplius ager mysterium, sed manifestatio istius defectionis. Innuit igitur, *illum impediens*, *illudve impedimentum*, oportere tolli e medio, ἐκ μέσων (non, *de* medio, h. e. non, ut non amplius sit; sed,) ut non sit porro impedimento. Intelligitur itaque sane decessio s. amotio; at non necessario omnimoda sublatio ipsius rei impediens, sed eatenus tantum, quatenus impediens s. obstaculum est. Quid illud esse possit, haud adeo difficile conijcitur. Cum enim nec ipse Apostolus, ejusque sedula cura & zelus pro ecclesiæ salute, (ut ante vidimus) intelligi hic possit, nec ipsa veritas vel regnum Christi; utpote quod auferendum utique e medio non erat, ut Antichristo faceret locum; neque adeo etiam *Deus* ipse ejusque decretum; quippe quem esse, qui illum hactenus impediatur, nullius hic sane momenti erat, inculcare; *humanam* aliquam potentiam intelligi, profecto necesse est, quæ ejusmodi ferre non posset elationem, neque etiam religionem. Hæc futura erat *Christiana*, nomine - tenus saltem, supergressura omne humanum fastigium. Summa tum temporis potestas erat penes Imperatorem Rom. non permissurum profecto, ut aliquis supra divina atque humana sese efferret,

mundumque istuc adduceret, ut se ipsi submitteret. Et quia Romanum Imperium gentile vel nominis *Christi* erat impatiens, imperium sane religiosum in illo erigi non poterat, quod Christianum vocaretur, quamdiu illud suum servabat vigorem. Hinc est, quod veteres omnes, & recentiores etiam interpretes, intelligant h. l. Romanum Imperatorem atque Imperium, revelationis Antichristi obstaculum, quod e medio oportere tolli a Spiritu prædictum sit, antequam ille reveletur. Quanquam haud dicatur, necesse esse, imperium illud prorsus extirpari aut tolli, ante illius revelationem, sed ea tantum ratione ac modo illud oportere cessare, quatenus impedimentum regno ejus faciat: Dum alia utique ratione cessare & locum Antichristo facere, alia item ratione perstare ac manere poterat. Quod & aliarum Prophetiarum *παράκλησις* demonstrat: V. Dan. 2: 33. 41. sqq. & c. 7: 8. conf. Bellarm. L: 2. de P. R. C. 13. & L. 3. c. 5. Blasius Viegas, *Comm. in Apoc.* p. 832. Cum enim Antichristi revelandi sedes deberet esse Roma, illiusque regnum cum Romano permisceri, fieri illud haud poterat, quamdiu Roma idololatriæ gentilis esset sedes. Imperium igitur Romanum gentile, imo & Christianum deinde, secundum certam quandam sui rationem (quatenus nempe Antichristus se adhuc opponebat,) cessare prius debebat, quam regnum Antichristi, in  
tem.

templo Dei, s. Ecclesia, sedentis, constabli-  
liretur & consummaretur: & alia tamen ra-  
tione manere quoque & continuari. Pro-  
phetias vero rebus comparare gestis, institu-  
ti jam non est nostri.

§. 19. Quod ad posterius attinet, An ille  
simulac jam revelatus, statim etiam abolen-  
dus sit? Docet id Apostolus v. 8. ubi ait, *Tunc,*  
quando nimirum impediens illud e medio ab-  
ierit, *Defectorem illum,* seu defectionis auto-  
rem, *iri revelatum,* & exinde illum a *Domino*  
*Spiritu oris sui consumendum esse, denique etiam il-*  
*lustri adventu suo abolendum.* Revelatio illa ge-  
mina est, *tum* quod ipse Antichristus demon-  
straturus sit impudentiam suam, arrogando  
sibi aperte maximam in Ecclesia potestatem,  
hoc tamen fraudem illam atque injuriam non-  
dum animadvertente; *tum,* quod animadver-  
suri tandem sint pii, quid rerum agatur, &  
quod is revera sit ὁ ἄνομος, qui Ecclesiam oc-  
cupet. Utrumque conjungendum est. Post  
revelationem vero posterioiorem coepturam di-  
cit Apostolus ἀνάλωσιν, attritionem s. con-  
sumtionem, quam post aliquem temporis tra-  
ctum exceptura tandem sit κατάργησις perfe-  
ctaejus abolitio. Quæ expresse & notanter a  
se invicem distinguuntur, utpote diverso  
tempore atque medio futurae. Illa enim ta-  
lem notat consumtionem, quæ paullatim fit;  
secus quam haec, quæ subitam destructionem  
dicit: Quemadmodum v. g. ignis, lignum.

lucernamve paullatim pascendo *ἀναλίσκει*,  
 consumit; aqua vero, igni affusa, hunc *καταρ-  
 γῆ* prorsus abolet s. extinguit. Dominus au-  
 tem Antichristum *consumiturus* dicitur spiritu  
 oris sui h. e. (ut & Lutherus in præf. ad 2. Ep.  
 ad Theff. & Seb. Schmidius, in sua ad eandem  
 Epist. Paraphrasi, explicat,) verbo suo, il-  
 ludque comitante efficacia Spiritus S. in con-  
 vertendis suis, & potentia in puniendis suis  
 suorumque hostibus; Quemadmodum Im-  
 probus ille per fallaciam mendacii & effica-  
 ciam Satanæ crevit: v. 9. 10. *Aboliturus* ve-  
 ro illum illustratione *adventus* sui, videl. ad re-  
 gnum suum in consummatione seculi gloriose  
 consummandum; qui ejus *adventus* *adven-  
 tui istius Improbi*, v. 9. opponitur. Hæc  
 omnia, hosque *Operationis, Revelationis, Attritionis*  
 s. *Consumtionis, & plenariæ tandem*  
*Abolitionis*, gradus verba Apostoli in regno  
 Antichristi istius clare distinguunt; quos vero  
 Autor in fictitio suo Antichristo Judaico ita di-  
 stincte ostendere non potuit. Et quam frigi-  
 da, obsecro, ipsius ad v. 8. commentatio est,  
*Deum, Judæos notabili quodam Judicio publice totius*  
*mundi oculis in iræ pænæque exemplum proposuisse,*  
 (hanc enim Antichristi revelationem intelli-  
 git,) *cum de illis, ex prædefinita decreti sui senten-  
 tia,* (quæ ipsi spiritum oris Domini denotat) *vindi-  
 cam exegit, eosque in excidio Hierosol. tanquam il-  
 lustris & perquam glorioso Judicio,* (hanc etenim il-

lustrationem adventus ejus esse statuit,) occiderit  
atque perdiderit.

§. 20. Sed *Revelationem, Consumtionem & Abolitionem* Antichristi non unius ejusdemque esse sensus neque temporis, sed illas, ut inter se distinctas, ita distinctis etiam temporum articulis fuisse expectandas, sibi invicem succedere, ipsa hic verborum consecutio, & ordinata series clarissime ostendit. Neque enim dicit Spiritus S., *Revelabitur - - consumetur - - & abolebitur* (quomodo, si uno quasi spiritu hæc comprehensa dicerentur, unum idemque negotium ac tempus videri possent iudicare :) Sed, *Tunc revelabitur Improbus ille, quem dehinc Dominus consumet* paullatim, nimirum *Spiritu oris sui, & prorsus tandem abolebit, idque illustratione adventus sui.* Nam in Scripturis Sanctis explicandis verba in summa utique *ἐπιταγή, intensione, inque omni vi suæ significationis, esse accipienda, & probe premenda, ut verum ex iis exprimatur; ab ipsis etiam Apostolis discimus: (v. Gal. 3:16. 1. Cor. 15:27. Ebr. 2:9. c. 8:13. &c.) & ipsum quoque VERBORUM ORDINEM mysterium esse, Hieronymus, in de opt. gen. interpret. (ad Pammachium,) jam observavit, & probe norunt intelligentes. Antiquis etiam Judæorum magistris monentibus, *Nullum in Scripturis esse apicem, a quo non montes qs. sententiarum pendeant.* (quorsum & ipse Servator Matth. 5:18. videtur respexisse.) Sic, v. g. in verbis Esa. 42:1. sq.*

temporum vices ita distinguuntur, ut illa: *Servus ecce meus, quem elegi*, pertineant ad Christi exinanitionem: illa, *In quo acquiescit anima mea*, ad ejusdem exaltationem: (conf. Pf. 89: 20. cum Matth. 3: 17. c. 17: 5.) illa, *Ponam Spiritum meum super ipsum*, ad effusionem Spir. S. (conf. Pf. 45: 8. Esa. 61: 1.) Illa, *Judicium renuntiabit gentibus*, ad vocationem gentium: (conf. Esa. 2: 4: c. 11: 3. 4.) illa, *Non litigabit, neque clamitabit, neque audiet quisquam vocem ejus*, ad tolerantiam afflictionum, & silentium diu imperatum, ne putarent regnum Dei aut armis occupari, aut venire multo cum clamore ac *παροργισθησιν*, Luc. 17: 20. 21. & sic porro. (Quam sententiam cum Matthæus c. 12: 15. sqq. ad historiam consultationis Pharisæorum adversus Jesum, ad illum perdendum, & secessionis ejus, atque affectationis turbæ multæ, ac sanationis omnium, factæque a Christo interminationis, ne ipsum manifestum facerent, applicat, hanc omnino esse mysticam, sensuque saltem sublimiori Christi mystici, potissimum, ejusve regni, fata posteventura præfigurasse indicat. Vid. Matth. 27: 1. sq. Act. 13: 46. Apoc. 22: 2. Col. 3: 4. 1. Joh. 3: 3. &c.) Eodem sane interpretandi canone ipse quoque Paulus hic usus, verba illa, *Consumet Improbum Spiritu oris sui*, ex Esa. 11: 4. allegans, ubi Propheta a qualitate & officiis Messia, quæ ante descriperat, ad Judicia, quæ ille sub œconomia Nova in Ecclesiæ suæ hostes

executurus esset, transiens, dicit, *Et percutiet Terram sceptro oris sui, & Spiritu labiorum suorum interimet Improbum.* Prius colon, extra controversiam ad Judæos spectans, (v. Mal. 4: 6.) omittit, eoque illud non æque ad Anti-Christum pertinere, huncque adeo a Judæis omnino differre agnoscit; posteriori duntaxat commate ad Anti-Christum relato: De quo illud & Jonathan in paraphrasi Chaldaica explicans, illum ארמילוס *Armilus*, h. e. (transpositis literis duobus prioribus) רמילוס *Romilus*, appellat. Gradus vero ejusmodi, secundum temporum vices distinctos, in judicio Anti-Christi observandos, etiam Matth. 22: 11. 12. 13. reperimus, ubi Christus eum, tanquam convivam sine veste nuptiali, suas nuptias post vocatas Judæorum loco gentes, ib. v. 8. 9. 10. ingressum, opportuno tempore, cum visurus convivas venit, primum videt, deinde alloquitur, & ubi ad alloquium illud obmutescit, porro vincire jubet, postea vero tollere, & tandem in carcerem conjicere. vid. Grœnwegenii *Mond van de opperste Wysheit*, ad hanc parabolam.

§. 21. Ex dictis jam plus satis, ni fallor, constat, quam irrito plane conatu novus Interpretes classicum hoc de Antichristo dictum ad Judæos dudum perditos detorquere, (per quendam ingenii forte lusum) annisus fuerit. Quod vero & ex loco 1. Joh. 2: 18. 22. & c. 4: 1-3. (quem illi succenturiare voluit,) aliquam

nititur opinioni suæ conciliare verisimilitudinem, nihil est. Neque vero ego, cum ipse verba illa tantummodo alleget, in illis explicandis multus ero: hoc solum moneo, communem fere Doctorum esse sententiam, nec cum ratione improbandam, B. Johannem scripta, quæ nobis ab eo supersunt, omnia proveciori demum ætate, post excisam aliquamdiu Hierosolymam, consignasse; (in quo & Ambrosium habemus consentientem:) Unde & Baronius, Epistolam hanc circa annum Christi IC. anno videl. Nervæ primo, & post Hierosolymæ excidium vigesimo quinto, exaratam esse, statuit: in quo neque Censor ejus, Ant. Pagi, quod reprehenderet, reperit: Quod vero ibi Johannes d. v. 18. *novissimam horam* suo etiam ævo fluxisse, scripsit, non sane certum id facit indicium, illum anteriori jam tempore, postrema videlicet V. T. periodo adhuc labente, sicque stantibus adhuc Judæorum rebus, ita scripsisse: cum totum hic Novi Test. tempus sub *Evangelio*, œconomix promissionis, ante legem, & œconomix V. T. *sub lege*, oppositum, ultimæ horæ, (Prophetis anterioribus *אחרית הימים dictæ*) appellatione venire, dudum demonstraverint Theologi. Quo posito, collatis simul iis, quæ dicto Johannis loco subsequuntur, dicendum omnino est, *negare, Jesum esse Christum, adeoque & Patrem & Filium negare*, non tam crasse, vel de negatione verbis etiam expressis facta, esse

se intelligendum (quomodo hæc quidem negatio in Judæos utique convenit; de quibus vero, si sermo hic esset, non ita tecte, sed æque saltem clare, quam 1. Thess. 2: 14. locutus de illis fuisset Spiritus S.) quin potius de tali, quæ re magis ipsa, quam verbis, fiat, ab ejusmodi nempe hostibus, qui tunc temporis nondum adeo essent manifesti, ut Judæi, sed pullulascerent primum; quique non extra ecclesiam essent constituti, sed ex ipsa ecclesia provenirent, v. 19. fideique Christianæ veritatem, non aperte quidem & plane negarent, sed mendacia sua cum illa compingerent, v. 21. Christianosque inducerent, unctionem a Sancto illo acceptam (Scripturam a Spiritu Sancto inspiratam, s. veritatem ea comprehensam,) relinquere, v. 20, & 27. & ipsorum mendaciis, quibus totius Scripturæ & veritatis Christianæ fundamentum convellerent, ei; contraria docerent, credere: præterea certum quoque caput habituri erant, quod proprie & singulariter *Mendacis & Antichristi* titulum gereret, Christique adeo locum in Ecclesia occuparet. Profecto enim, si illud negare, *Jesum esse Christum, & venisse in carne*, de expressa verbalique tantum negatione esset intelligendum, multi quoque Impostores, qui tum ævo Johannis, tum omnibus retro seculis, extiterunt, tum & qui modernis existunt temporibus, crassissimos licet errores docentes, *Spiritus ex Deo egressi* dici possent, c. 4: 1. si toti-

dem solum verbis confiteri, *Jesum esse Christum in carne manifestatum*, ad illud sufficeret. Re-  
 ctissime igitur Lutherus noster, in *pref. ad I. Epist. Joh.* observat, *negare Antichristum illam veritatem, non ore, sed animo, vel doctrina, illam destruyente, ipsaque vitæ praxi.* Quod quomodo fiat, ibidem quoque ostendit. Vi-  
 deatur & omnino Coccejus in *Ultimis Moysi*, §. 1448. & 1353. it. in *Locis de Antichristo*, ad h. l. ut & Melchior T. 2. *Opp.* p. 213. sqq. Legi vero hic vel imprimis etiam meretur su-  
 pra laudatus Msr. du Vidal, in *l'Eglise Romaine pleinement convaincu d'Antichristianisme*; P. I. Lettr. & III. ubi ille dicta Johannis verba ita expo-  
 suit, ut, si hora novissima vel maxime de po-  
 strema veteris seculi periodo accipiatur, imo & *negatio Patris ac Filii &c.* de Judæis non mi-  
 nus quam aliis Antichristi præcursoribus, pri-  
 mo intelligatur, certum tamen maneat, præ-  
 ter Antichristos ejusmodi minores insignem  
 aliquem Christi hostem qui se ipsius loco Ec-  
 clesiæ pro Capite & Sponso obtrudat, (de quo  
 2. *Thess.* 2: 3. 4. ff.) hic omnino respici, cui  
 eadem hæc negatio, alio licet sensu, non mi-  
 nus vere conveniat. Quod vero p. 132. dicit  
 Noster, *ista se ratione alia etiam Pauli aliorumque  
 Apostolorum de Antichristo dicta facile quoque de  
 Judæis posse explicare*; ipsi quidem facile potest  
 credi: Siquidem isthac eum ratione ex *Herme-  
 neuticæ suæ quodlibetariæ principiiis quodlibet fa-  
 cile ex quolibet deducturum, vel quilibet sibi*  
 facil.

facillime sit persuasurus: cum artem ille suam, quodlibet faciendi ex quolibet, ex uno jam alteroque specimine satis haecenus dederit probatam. Sed quod exempli inter alia loco *Apocalypsin* *Johannis* allegat, quam facile sibi fore, dicit, secundum istam quoque rationem ad *Judaismum* ejusque excidium applicare; (quandoquidem *Josephi* de *Bell. Jud. libri*, quatenus *Hierosolymæ* vastationem *Judæorumque* perditionem ac dispersionem, sub *Vespasiano* factam, describant, optimum *Apocalypseos* *Commentarium* præbeant;) cum ejus rei jam pridem etiam periculum ipse fecerit, illud quoque  $\pi\alpha\epsilon\gamma\iota\delta\omicron\zeta\omicron\nu$  plusculis alias, volente Deo, considerabimus.

Jo. Georgii SCHEL-  
HORNII

Animadversiones in quæ-  
dam Novi Fœderis  
loca.

ARGUMENTUM.

- §. 1. I. Quo sensu Paulus Tit. I. 12. Epimenidem Pro-  
phetam Cretensium vocaverit? forte ratione sacer-  
dotii. *προφήτης* Græcis sacerdos. Loca Heliodori.  
§. 2. Testimonia Herodiani, Plutarchi, Juliani. §. 3.  
Clementis Alex. &c. §. 4. Pfeifferi. De Prophetis  
Jovis in Academia Cretensi. *προφήτης* interpres.  
§. 5. Alia conjectura de sensu loci. §. 6. II.  
*καταβολὴ σπέρματος* quid Hebr. XI, 11? pro-  
prie projectio seminis in terram, ab agricolis fieri soli-  
ta. §. 7. Per translationem ejaculatio seminis geni-  
talis: cujus dantur exempla. §. 8. Sæpe veteres  
sobolis procreationem agrorum contulere cultui.  
§. 9. III. *εἰς ἔργον διακονίας* Eph. IV. 13. elegans  
usus phraseos *ἔργον πνεύματος γίνεσθαι* §. 10. *ἔργον*  
pro ædificio. §. 11. IV. Periphrasis mortis per  
sominum etiam profanis scriptoribus usitata, non  
solum poetis. §. 12, 13. Sed & profaicis. §. 14.  
V. De phrasei *θύρα ἀνεύγειν* 1. Cor. XVI. 9.  
Tit.

Tit. I. 12.

Ἰδιῶν αὐτῶν προφήτης.

§. 1.

**C**ur D. Apostolus Epimenidem, cujus versum allegat, prophetæ insignierit titulo, valde dubium est, nec mirum, cum ipsi jam veteres de illius historia maxime dissenserint, unde Pausanias (a) τὰ ἐς Ἐπιμενίδην Λακεδαιμονίης δοξάζω μᾶλλον Ἀργείων λέγειν εἰκότα, *Vetiora existimo, quæ a Lacedæmoniis, quam quæ ab Argivis de Epimenide commemorantur.* Paucis dicam, quid mihi de eo videatur. Arbitror, apud Cretenses summum obiisse sacerdotium, quales Græcis nominabantur *prophetae*. Diogenes Laërtius alique eum primum domos & agros expiasse, nec non templa condidisse ferunt, de quo plura collegit Stanleyus (b) Heliodoro in Æthiopicis *προφήτης* antistes Sacerdotum Memphiticus *ψευδοπροφήτης* falsus antistes, *ιεροσύνη τῆς προφητείας* sacerdotium antistitii, *ἀξίωμα προφητικόν*, dignitas sacerdotalis, *προφητεύειν* vero huic muneri præesse dicitur compluries. Dabo earum vocum recensum, non ex indice exscriptum, utpote quo mea editio (quæ cura Dan. Parei Francof. 1631.

(a) In Lacon. f. 93. edit. Francof. 1583.

(b) Hist. Philos. p. 92. sq.

1631. in 8. prodiit) non est instructa. προφήτης L: I. C. 19. 22. bis. L. II. C. 24. L. III. C. 11. bis. 14. bis. 16. L. VI: C. 15. L. VII. C. 11. ter. L. VIII. C. 5. ψευδοπροφήτης L. X. C. 36. προφητικός. L. I. C. 19. 21. L. II: C. 26. 28. L. III. C. 19. L. VI. C. 14. L. VII. C. 11. 14. L. VIII. C. 3. 5. προφήτεια L. I. C. 22. 33. L. VI. C. 13. L. VII. C. 2. bis. 3. 4. 8. bis. L. VIII. C. 3. 5. bis. L. X. C. 2. ubi sic vocatur Æthiopiae sacerdotium, ut videas hinc, non de Ægyptiaco duntaxat adhiberi hanc vocem. προφητεύειν L. II. C. 25. L. VI. C. 9.

§. 2. Ita Herodianus (c) ὑποδήμασι λίνα ποιημένοις ἐχρῶντο, ὡσπερ οἱ κατ' ἐκείνα τὰ χωρία προφητεύοντες quo loco per προφητεύοντας Phœnicios sacerdotes intelligi puto. Sic etiam Plutarchus (d) Pontificem maximum Romanorum προφήτην appellat. ὁ δὲ μέγιστος τῶν πομπήκων, οἱ ζῆ ἐξηγητῆ καὶ προφήτῆ, μάλλον δὲ ἱεροφάντης τάξιν ἐπέχει, ἢ μόνον τῶν δημοσίων δρωμένων ἐπιμελέμενος κ. τ. λ. interprete Herm. Crusenio: Pontifex maximus instar est interpretis S. vatis, vel potius sacrorum antistitis, qui non tantum publicarum ceremoniarum agit curam, verum etiam sacrificia privata observat, S. vetat solennia excedere, docerque quibus hostiis dii colendi vel placandi sint. Pariter Julianus ἐπεμβαίτης de se ipso: (e) ἐγὼ τοίνυν ἐπειδὴ πῶς εἶμι κατὰ μὲν τὰ πύ-

(c) Histor. L. V. C. 5. v. 21.

(d) in Numa. f. 66.

(e) in fragmento Epist. LXII. f. 451.

πάτρια μέγας ἀρχιερεὺς ἔλαχον δὲ νῦν καὶ τῆ Διδυμῶν προφητείας ἀπαγορεύω σοι τρεῖς περιόδους σελήνης μήτοι τῶν εἰς ἱερέα μηδὲν ἐνοχλεῖν. *vertente Petro Martinio: Ego itaque, quoniam patriorum sacrorum maximus sum Pontifex, & oraculi Didymæi præfecturam modo sum sortitus; edico tibi, ne quid eorum, quæ ad sacerdotium pertinent, tribus totis mensibus attingas.*

§. 3. Rursus verò de Ægyptiis προφήτης nomen invenitur in Clemente Alex. (f) ἐπὶ πᾶσι δὲ ὁ προφήτης ἔξεισι κ. τ. ε. post omnes exit propheta -- is, quum sit sacrorum præfectus, ediscit libros decem, qui vocantur sacerdotales: continent autem de legibus & diis, & universa sacerdotum disciplina. Eos philosophiæ sedulam navasse operam, illiusque notitia satis extitisse celebres, notum est. Hinc idem Clemens (g) Thales autem, cum esset Phœnix genere, etiam cum Ægyptiorum prophetis congressus esse dicitur: Sicut etiam Pythagoras cum iis ipsis, propter quos etiam fuit circumcissus, ut adyta ingrediens, Ægyptiorum mysticam disceret philosophiam. Modo laudatus Pater (h) philosophiæ præfuisse & Ægyptiorum Prophetas, & Assyriorum Chaldaeos, & Gallorum Druidas &c. refert. Inscriptio illa, quæ Antinoi consecrationem

(f) L. VI. Strom. f. 634.

(g) L. I. Strom. f. 302.

(h) l. c. f. 305.

nem continet, Prophetæ Ægyptio debetur. (i)

ANTINOΩ  
 ΣΥΝΘΡΟΝΩ ΤΩΝ  
 ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩ ΕΞΩΝ  
 Μ. ΟΥΛΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ  
 ΠΡΟΦΗΤΗΣ.

Sed quis nescit, prophetarum Ægyptiorum frequentem Scriptoribus antiquis fieri mentionem? Nomino saltem adhuc Eusebium (k) & Cyrillum. (l)

§. 4. Lubens igitur accedo eorum sententiæ, qui Epimenidem inter Jovis prophetas aut sacerdotes Cretenses primum tenuisse locum augurantur. Scilicet Sacerdotes olim plerumque oracula & responsa divina edebant, simulque voluntatis divinæ interpretes esse videbantur, hinc forte istud nominis sortiti. J. Ph. Pfeifferus (m) ex Middendorpio memorat, fuisse in Cretensi Academia Jovis Prophetas, qui leges interpretabantur (τῶν ἐπωῶν

(i) Exhibet eam Casaubonus ad Æl. Spart. T. I. Hist. Aug. p. 137.

(k) Præparat. Evang. L. X. C. 4. f. 470. sq.

(l) contra Julianum L. IV. f. 133.

(m) Antiquit. Græc. L. II. C. LXVI. p. 445. Himerius Orat. de Imperatoris adventu in urbem Cap. VI. τῶν Μουσῶν π καὶ Ἑρμῆ προφητῶν Μουσῶν ἔ Μερκουρίου Interpretum mentionem facit, vide in eum locum notata celeberrimi Maji f. 641. Biblioth. Uffenbachianæ Msst. Part. II.

ἐπῶν προφήτης, *carminum interpres* audit apud Aristophanem in Avibus: Sicuti Poëtarum interpretes Julianus (n) προφήτης appellat, quod obiter noto) & carnibus, omnibusque rebus, quæ coquantur, abstinebant: quod citra dubium hausit ex Porphyrio, (o) quem alii citant. In adversaria mea plura de his conjeceram, sed ne illa huc transcriberem, manum cohibuit Borremansius, quem singularem librum de Poëtis & Prophetis edidisse novi, quamvis eo uti non licuerit: mihi igitur persuadens, istum plura & notabiliora hanc in rem suppeditasse, ne crambe denuo cocta nauseam excitem, conticesco.

§. 5. Jam indicabo breviter, quæ alias mihi fuerit de loco hoc Pauli mens. Nempe in confesso est, Philosophos Ægyptiorum, toto orbe clarissimos Prophetarum nomen sustinuisse: hinc conjeci istum forte titulum aliquando etiam aliis extra Ægyptum, sapientiæ cognitione inclutis, obtigisse. Magnum autem inter eruditos prisca ævi nactus est nomen Epimenides, fama super æthera notus: Sicut Chaldæi nomen, quod speciatim & Syriorum philosophis fuit tributum, nonnunquam latius etiam quosvis Astronomiæ peritos denotavit, ut sic quandoque non gentis sed artis vocabulum fuerit: ita nec absolum esset, existimare, prophetas interdum appella-

Cl. V. Fasc. V.

Kkk

tos

(n) Epist. XLII. f. 423.

(o) L. IV. περὶ Ἀποχῆς.

tos esse viros, philosophiæ notitia illustres, non Ægyptios tantum, quibus primario hoc nomen competebat, sed & alios. De Chaldæis Stanlejus prolixè egit Hist. Philos. §. XIII. p. 1110. sqq. ubi inter alia erudita docet, quam late Chaldæi nomen serpsit. Quod fatum etiam habuit vox Magi, de qua præter Stanlejum, Clericus. (p) Chaitomæus, (q) & Gualperius (r) differunt. Quid igitur mirum, si & prophetæ titulus Ægyptum excesserit, & aliarum quoque gentium philosophis nonnunquam obtigerit? inter quos memoratissimus fuit Epimenides. Nihil forte obstat, quo minus hanc conjecturam priori jungamus, ut uno nomine & sacerdotii & philosophicæ eruditionis in Epimenide, sicut in Ægyptiis, rationem fuisse habitam censeamus.

Hebr. XI. 11.

Πίσει καὶ αὐτὴ Σάρρα δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματός ἐλαβε.

§. 6. Non incongrue, ut ego quidem arbitror, hunc locum interpretantur, qui, fide Saram vim accepisse ad concipiendum & retinendum semen, dicunt, ut sic vel συναμβά-  
νειν vel καταχεῖν, seu aliud hujusmodi verbum

(p) In Indice philol. ad Stanlejum.

(q) In Græcobarbaris N. T. p. 354. Syntagmatis Rhenferdiani de Stilo N. T.

(r) In Sylloge vocum Exot. N. T. ad Matth. II. v. 1. P. 9.

bum subintelligendum sit. Haud enim insolens est ellipsis verbi post nomen accusativi casus, a præpositione *εις* rectum. Obvia sunt ejus rei exempla passim. Theocritus Idyll. V. v. 98.

Ἄλλ' ἐγὼ ἔσχατῶν μαλακὸν πόκον, ὀπίσθε  
πέξω

τῶν οἴνων τῶν πικρῶν, κροτίδα δωρήσασθαι  
αὐτὸς.

Ubi Scholiastes antiquus; τὸ εἰς χλαῖναν,  
ἀντὶ τῆς εἰς τὸ ἐργάζεσθαι χλαῖναν.

Gellius N. A. Lib. IX. C. II. *Ac petit es sibi dari eis æretes, scil. emendos; ad quem locum plura notavit J. F. Gronovius. Apprime igitur placet Erasmi paraphrasis h. l. Sara, cum Es maritum haberet vetulum, Es eo processisset ætatis, ut matrici nativa vis deesset ad semen virile attrahendum ac retinendum, tamen concepit Es peperit Isaac, diffusa quidem natura viribus, sed confixa Deo.* Καταβολὴ σπέρματος enim ejaculationem seminis infert, quæ virorum est. Communiter usurpatur de projectione seminis in terram, ab agricolis peragi solitam: (rr) deinde vero per  
Kkk 2 trans-

(rr) Ita occurrit in verbis Chrysippi apud Diogenem Laertium in Zenone L. VII. c. 159. quibus dixit τὸ σπέρμα εἶναι πνεῦμα κατὰ τὴν ἔσταν, ὡς δὴλον ἐκ τῶν εἰς τὴν γῆν ἐπιβαλλομένων σπέρματων, ἃ παλαιωθέντα ἐκ ἐπιφύεται; Semen esse spiritum secundum substantiam, quod cen-  
bat

translationem de generatione hominis. Cle-  
mens Alex. Pædagog. L. II. C. X. f. 187.  
Τοῖς δὲ γεγαμηκόσι σκοπὸς ἡ παιδοποιία τέλει  
δὲ ἡ εὐτεχνία καθάπερ καὶ τῷ γεωργῷ ΤΗΣ ΤΩΝ  
ΣΠΕΡΜΑΤΩΝ ΚΑΤΑΒΟΛΗΣ αἰτία μὲν ἡ τῆς προ-  
φῆς προμήθεια Qui autem juncti sunt matrimonio,  
iis scopus est institutum, liberorum susceptio: finis  
autem, ut boni sint liberi: quemadmodum agricu-  
le SEMINIS quidem DEJECTIONIS causa est,  
quod nutrimenti habendi curam gerat.

§. 7. Heliodorus (s) τὴν καταβολὴν meto-  
nymice usurpavit pro foetu. Καὶ μοι καὶ προ-  
σωμί-

stat ex jactis in humum seminibus, quae cum antiquata  
fuerint, non amplius germinent. Recte J. Lipsius, qui  
haec verba sensu obicceniori interpretatus fuerat, in  
Phys. Stoic. L. I. c. 16. notatur a Menagio, qui cum  
his verba Sexti Empirici committit. Τα εἰς τὴν γῆν  
ΚΑΤΑΒΑΛΛΟΜΕΝΑ ΤΩΝ ΣΠΕΡΜΑΤΩΝ, οὐκ  
εὐθὺς εἰς βολοῦντα συμπλεκεται ταῖς ὑποκει-  
μεναῖς βωλοῖς, Semina, quae projiciuntur in terram,  
non statim agentia radices connectuntur cum subjectis  
aeribus. Hanc phrasin quoque adhibet M. Anto-  
ninus Imp. de rebus suis L. IV. §. 36. ubi meminit  
τῶν ΣΠΕΡΜΑΤΩΝ τῶν εἰς γῆν, ἢ μήτραν ΚΑΤΑ-  
ΒΑΛΛΟΜΕΝΩΝ, *seminum vel in terram, vel uterum  
projectorum.* Inprimis huc facit Julius Pollux, qui  
L. II. c. 2. recensens phrasas, quibus generatio ho-  
minis indicatur, haec habet; Σπείρει καὶ ἀροσάει  
καὶ ΚΑΤΑΒΑΛΕΙΝ ΤΟ ΣΠΕΡΜΑ; Quae si confe-  
rantur cum loco quodam Luciani in amor. quem ad-  
duxit L. Bos in Ex. ad N. T. p. 252. egregie explicatio  
haec doctissimi Viri confirmatur. T. d. H.

(s) Æthiopic. L. IV. C. VIII.



formulas mutuari. Sic Plutarchus (y) *Lib-  
berum, inquit, erat bono viro, si qua ei casta mu-  
lier, quæ elegantes pueros ederet, alteri nupta cor-  
di esset, agere cum viro, ut copiam sibi ejus faceret,*  
*ὡς περ ἐν χωρῇ καὶ κικάρπῳ φυτεύοντα καὶ ποιεῖ-  
νον παῖδας ἀγαθῆς, ἀγαθῶν ὁμαίμης καὶ συγγενῆς  
ἰσομένης, atque ita tanquam frugiferum arvum  
conferere & gignere liberos probos, qui proborum  
futuri consanguinei & propinqui essent.* Lucianus  
(z) eleganter ἀροτῶν τῶν παίδων pro libero-  
rum procreatione dixit, quod & aliis fre-  
quens fuit. Ita σπείρειν, ἀροεῖν, σπείρειν παίδων  
ἀλοκα, σπέρμα, ἀρῆρη, ἀροτήρ, Φυτρυγῶ &c. sunt  
verecundæ locutiones, ab agricultura ad so-  
bolis procreationem translata, de quibus hu-  
jus loci non est pluribus agere (aa) Haud  
igitur est, quod nobis heic crucem figant  
verba Knatchbulli, qui ad hunc locum scri-  
bit: *Qua vero Philosophia, Logica, Grammatica,  
vel quo Lexico poterit verti, virtutem in conceptio-  
nem seminis accepit, vel ad ejaculatum semen con-  
cipiendum, magis literatis inquirendum egomet re-  
linquo.* Equidem ineptissimus hominum fo-  
rem, si hanc mihi laudem sumerem, qui in-  
genium & doctrinam Viri istius maximi fa-  
cio: at, quod pace ejus dicere liceat, non vi-  
deo, quod tantopere illa expositio physico-  
rum probatissimorum hypothesebus repu-  
gnat,

(y) in Lyeurgo f. 49.

(z) in Timone p. 92. edit. Lamb. Barlæi.

(aa) Conf. si lubet, Rittershus. ad Oppianum p. 287. sq.

gnet. Grammaticas vero & Lexica non curamus, si ex ipsis Græcorum Scriptorum fontibus argumenta nobis præsto sint pro explanatione loci fulcienda: quod hic breviter quidem, sed sufficienter nos ostendisse confidimus. (bb) Cæterum qui de jiciendi feminis non maribus duntaxat, sed & foeminis potestatem faciunt, (quibus pollicem premit Joh. Cunr. Dieterichius) (cc) ista ellipsi, de qua §. 6. differuimus, non indigent.

Ephes. IV. 12.

Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἐκκλησιαστικῶν εἰς ἔργον  
 διακονίας.

§. 9. Recte equidem hæc verba transferri existimo, ad consummationem sanctorum in opus ministerii; at non hoc præcise sensu, ut sancti sic instituantur, ut & illi aliquando ecclesiæ præesse, atque διακονίας munera fungi possint. Apostolus enim heic de universo fidelium cœtu loqui videtur, qui sane non omnes & singuli doctorum obiisse munia censendi sunt. Nec tamen ulla a nobis flagitat necessitas, ut cum Hug. Grotio trajectionem instituatamus, secundum quam genuina constructio

K k k 4 hæ

(bb) Ad idem quoque præter Criticos Anglicanos Lamb. Bosin Exercitat. SS. ad h. l. & Rabbelium in Annotat. Philol. ex Polybio & Arriano collectis p. 676.

(cc) In latreo Hippocratico p. 657. sq.

hæc esset : eis ἔργον διακονίας πρὸς τὸν κατὰ τὴν  
 μὲν τῶν ἀγίων. Alia forte & commodiori via  
 nos hinc expediemus. Pereleganter Helio-  
 dorus (dd) : οἱ πλείστοι βελῶν ἔργον καὶ πο-  
 ζείαν γεγεννημένοι *Plurimi jaculorum & arcus  
 opus facti*, i. e. jaculis arcu emissis confixi  
 sunt, & iterum (ee) καὶ τὴν χαρὶ κλεῖα, καὶ πολε-  
 μίας χειρὸς ἔργον ἢ φιλικῶς γεγεννηται, *Jacet Cha-  
 ricia, & hostili manu charissima peremta est.* Ad-  
 dam & tertium ejus locum (ff) : κόρη τις ἀγα-  
 μένη ἀπὸ τῆς Μέμφεως, τῷ πολέμῳ γέγονε παρέργον.  
*Puella quædam, Memphi duceretur, obiter belli  
 fuit appendix*, h. e. nisi fallor, bello capta & in  
 servitutum abducta. Ælianus (gg) ἀμφότε-  
 ροι βίαια θανάτῳ ἔργον ἐγένοντο. *Uterque violenta  
 morte de medio sublatus est.* Ex hisce forsan locis  
 aliqua lux Paulinis affulget verbis. Jaculo-  
 rum ἔργον est, configere adversarium : belli  
 hostem onerare vinculis, vel prorsus e medio  
 tollere : mortis, extinguere aliquem, διακο-  
 νίας vero, sive ministerii sacri, homines  
 Christo vendicare, mystico illius corpori in-  
 ferere, pios fidelesque verbi divini virtute red-  
 dere, & sic porro. Sancti fiunt ἔργον διακο-  
 νίας, si doctores Ecclesiæ semper exoptatum  
 istum, quem intendunt, finem apud illos ob-  
 tinent.

J. 10.

(dd) Æth. L. I. C. I.

(ee) L. II. C. IV.

(ff) L. X. C. XXXIV.

(gg) Var. Hist. L. VII. C. II.

§. 10. Quod si hæc tibi minus arrideant, aliam paulisper ingrediar viam ad sensum loci eruendum. Scilicet notes velim ἔργον Græcis quandoque domum ædificiumque designare. Herodianus L. I. Histor. *Ubi templum omne consumptum ignibus est, πλείστα καὶ καλλίστα ἔργα τῆς πόλεως, plurima quoque & pulcherrima urbis ædificia conflagrarunt.* Idem Paulo ante Pacis templum vocaverat opus cunctorum tota urbe maximum atque pulcherrimum. Ipse divus Apostolus hac voce eo fere sensu utitur 1. Cor. III: v. 13. 14. 15. Nec Latinis scriptoribus hoc insolens. Suetonius Domit. cap. V. *Plurima & amplissima opera incendio absumpta restituit: in quæ & Capitolium, quod rursus ædificavit.* Vellejus Patere: (hh) *Quanta suo suorumque nomine extruxit opera?* Præterea in memoriam tibi revoco, καταρτίζειν haud raro de ædificiorum perfectione usurpari (ii). Huc igitur Pauli sermo tendit, ut ego quidem conjicio: Christum dedisse quosdam Apostolos, quosdam Prophetas &c. ad consummationem seu perfectionem sanctorum in opus vel ædificium ministerii, i. e. quod a verbi divini ministris extruitur. Atque ita voces versus nostri postremæ (εἰς οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας τῆς χριστιανικῆς) prioribus περιεξηγήσειν annexæ forent.

Kkk 5

Mors

(hh) L. II. C. 130 v. 1. conf. Bæcleri notas in h. l. p. 300.

(ii) vid. Hammond, & Cleric. in 2. Cor. XIII. 11.

Mors SOMNUS, mori DORMIRE: Matth.  
IX: 24. XXVII: 57. Joh. XI: 11. Act. VII:  
59. 1. Theff. IV. 13. &c.

§. 11. Periphrasin mortis per somnum Pe-  
trus Possinus haud abs re euphemismum in-  
stinctu naturæ communis apud omnes fere  
gentes usitatum vocat. (kk) Somnum Græci  
olim definiebant *ὀλιγοχρόνιον θάνατον*, & mor-  
tem *πολυχρόνιον ὕπνον*. Hinc Æschylo defuncti  
*εὐδοντες* dicuntur, & Lycophroni sepulcrum  
*εὐνασηλον*, quod in epitaphio, Georg. Fabri-  
cii monumentis antiquitatis p. 206. inserto re-  
quietorium audit: sicut & apud Gutherium  
(ll) in antiqua Inscriptione locus sepulturæ  
Ager Somni nominetur. Sed neque epita-  
phia, neque Poëtas veteres, quæ plaustra te-  
stimoniorum in hanc rem nobis suppeditarent,  
nunc ad partes vocare animus est: ipse enim  
Vorstius, qui hanc phrasin Hebraismis accen-  
set, ista metaphora poëtas nonnunquam uti  
concedit. Cum vero neget, ea significatio-  
ne apud Græcos, qui soluta oratione scripse-  
runt, hanc locutionem occurrere; operæ  
fortassis pretium erit, locis quibusdam lucu-  
lenti contrarium demonstrare. Bina hujus  
rei exempla jam in hac Bibliotheca (mm) at-  
tulit J. G. Michaelis: nos dabimus alia.

§. 12.

(kk) in Spicilegio Evangelico p. 69. edit. Hamb.

(ll) de Iure Manium L. II. C. XX.

(mm) Class. III. Fasc. IV. p. 717.

§. 12. Ante omnia observo, ipsam genti-  
 lium superstitionem somnum & mortem sibi  
 tanquam fratres finxisse colendos. Apud  
 Pausaniam (nn) memoratur simulacrum  
 somni & mortis: ἄλλα δὲ (ἀγάλματα) ὕπνου καὶ  
 θανάτου, καὶ σφᾶς ἀδελφὸς εἶναι κατὰ ἐπι τὰ ἐν  
 Ἰλιάδι ἕχονται. Prope Pausaniae statuas sua  
 etiam sunt simulacra somno & morti: esse  
 vero fratres, ex Homeri, qui in Iliade sunt,  
 versibus creditur. Idem in Eliacis: (oo)  
 πεποιήται δὲ γυνὴ παῖδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνε-  
 χροῦ τῇ δεξιᾷ χειρὶ, τῇ δὲ ἐτέρᾳ μέλανα ἔχει παῖ-  
 δα καθεύδοντι εἰκότα, ἀμφοτέρως διεσραμμένως  
 τὰς πόδας. Δηλοῖ μὲν δὴ καὶ τὰ ἐπιγράμματα,  
 συνεῖναι δὲ καὶ ἀνευ τῶν ἐπιγραμμάτων ἐστὶ θάνα-  
 τῶν τε εἶναι σφᾶς καὶ ὕπνου, καὶ ἀμφοτέροις Νύκ-  
 τα αὐτοῖς τροφόν. *Fœmina expressa est, puerum  
 consopitum dextera album sustinens, nigrum fini-  
 stra; Et hunc dormientis effigie, distortis utrinque  
 pedibus. Indicant inscriptiones, quod facile tamen,  
 ut nihil scriptum sit, conjicere possis; eorum puero-  
 rum unum mortem esse, alterum somnum, mulierem  
 illam noctem utriusque nutricem. Quid igitur mi-  
 rum, καθέυδειν, κοιμᾶσθαι κ. τ. λ. sæpe de mor-  
 tuis dici? Herodianus (pp) sic mortem M.  
 Antonini describit: ὁ μὲν ἐν νυκτὶ καὶ ἡμέ-  
 ρας ἐπιβιώσας μιᾶς, ἌΝΕΠΑΥΣΑΤΟ. πόσον τε  
 τοῖς καθ' αὐτὸν ἀνθρώποις ἐγκαταλιπὼν, ἀρετῆς  
 αἰδίων μνήμην εἰς τὸν ἐσόμενον αἰῶνα, Sed ille  
 quum*

(nn) in Laconicis f. 100.

(oo) L. I. f. 165.

(pp) L. I. C. IV. v. 18.

quum diem unum duntaxat noctemque supervixisset, requievit, seu, ut Politianus recte transtulit, fato est functus, sicut magnum sui desiderium ejus ætatis mortalibus, posteris vero etiam virtutis memoriam reliquerit sempiternam. Ἀναπαύεσθαι alias de somno usurpari, non indiget probatione. Suidas: ἀναπαύεσθαι, τὸ κατακλίνεσθαι, ὡς πρὸς ὕπνον. Ipse Herodianus (rr) istud de somno Commodi adhibet. Comparat igitur Antonini mortem placidæ quieti, æquum forsitan ratus, de eo sic scribere, qui mortis meditationem adeo egregiam in vita instituerat. Testis est ejus Liber IX. de seipso ad seipsum, ubi præter alia: Ὡς νῦν περιμένεις πότε ἐμβρυον ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς γυναικὸς σὲ ἐξέλθῃ, ἵτως ἐκδέχεσθαι τὴν ὄρεον, ἐν ἣ τὸ ψυχραῖον σε τῶ ἐλύτῃς τέτῃς ἐκπεσῆται. Idem Herodianus & alibi passim (ff) mortem quorundam sic indicat: βίη ἀνεπαύσατο, ex vita in quietam se recepit, prout alias ἀναπαύεσθαι τῶν πόνων est, a laboribus in otium se recipere.

§. 13. Ælianus (tt) peculiari capite de eo agit, ὅτι ἐνίοτε μὲν μήτε ἐν θανάτῳ κακῶν ἐστὶν ἀναπαύσαι, quod aliquando ne in morte quidem requiem impetrent mali ἐκ ἧν ἄρα τοῖς κακοῖς εἰδὲ τὸ ἀποθανεῖν κέρδιον (conf. Phil. I: 21.) ἐπεὶ μηδὲ τότε ἀναπαύσσονται. Ergo malis ne mors quidem prodest, quoniam

(rr) l. c. C. XVII. 20.

(ff) L. III. C. XV. 5. L. VI. C. I. 9. L. VII. C. IX. 21.

(tt) V. H. L. IV. C. 7.

quoniam neque tunc possunt quiescere. Heliodorus ad πολυβρύχιστον Homeri versum his verbis respicit: (uu) πρὸς ὕπνον τραπεῖς ὁ θερμύθις, χαλκίον πνα κρη) πύματων ὕπνον εἴλκυσεν, ἀσπίδῳ δὲ δῆγματι, μοιρῶν τάχα βελήσσι, πρὸς ἕκ ἀνάγκη-  
 μωσον τῶ τρώπῃ τὸ τέλῳ κατασρέψας. In somnum versus Thermutis, aeneum quendam & ultimum somnum dormivit, aspidis morsu, fatorum forsitan voluntate, non inconvenientem vitæ finem sortitus.

Hyginus de pietate Cleopis & Bitiæ: (xx) Cleops & Bitias sub jugo se junxerunt, & ad fanum sacra & matrem Cidippem in plaustro duxerunt; sacrificioque peracto, Cidippe precata est Junonem, si sacra ejus caste coluisset, si filii adversus eam piï fuissent, ut quicquid bonum mortalibus posset contingere, id filiis ejus contingeret. Precatione peracta plaustrum & matrem filii domum reduxerunt, & fessi somno acquieverunt: emortuali videlicet & ultimo. Si malis Græca, dabo tibi ex Plutarcho; (yy) de iisdem scribente: ΚΑΤΑΚΟΙΜΗΘΕΝΤΑΣ ΜΗΚΕΤΙ ΑΝΑΣΤΕΝΑΙ in somnum solutos nunquam evigilasse. Socrates apud Ciceronem (zz) Quamobrem sive sensus extinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam sine visis somniorum placatissimam quietem affert, Dii boni quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur, cui similis

(uu) Æth. L. II. C. 20.

(xx) Fabul. CCLIV.

(yy) Consolat. ad Apollon. f. 108. T. II. Opp.

(zz) L. I. Tusculan. Quæst.

*milis est perpetuitas omnis consequentis temporis? quis me beator? &c.* Quædam hujus generis invenies etiam apud Plutarchum in Consolat. ad Apollonium. Stobæus: (aaa) Ἀναξαγόρας δύο λέγει διδασκαλίας εἶναι θανάτου, τὸν τε πρὸ τῆ γενέσθαι χρόνον, καὶ τὸν ὕπνον *Anaxagoras assebat, duas esse mortis doctrinas, alteram, tempus antequam nati sumus; alteram SOMNIVM.* Valerius Maximus de morte Comæ (bbb) Sumto tempore ad se colligendum caput operuit, innixusque genibus compresso spiritu, inter ipsas custodum manus, inque conspectu summi imperii, exoptat a securitate *QUIEVIT.* Et Cornelius Nepos de obitu Hannibalis: (ccc) Sic vir fortissimus multis variisque perfunctus laboribus, anno *ACQUIEVIT* septuagesimo. Hæc sufficiant.

I. Cor. XVI. 9.

Θύρα γάρ μοι ἀνέωγε μεγάλη.

§. 14. Bene hanc loquendi formam, quæ sæpius in N. T. occurrit, explicant de occasione commoda & insigni præbita, uberrimum in vinea Domini parandi fructum. Ita Plutarchus: (ddd) ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καθάπερ ὁ Ἀνδρῶν ἐφ' αὐτὸν ἈΝΟΙΓΕΙΝ ἑ ΘΥΡΑΝ μίαν, ἀπὸ τῶν πλείσταις τῶν ἀποριῶν καὶ μεγίσταις πειρασταῖς τὸν ἑπί.

(aaa) Serm. CXVII. de laude mortis f. 514. edit. Tigur. 1543.


(bbb) L. IX. C. 12. exter.

(ccc) in Hannib. Cap. XIII. 1.

(ddd) Adversus Colotem, f. 1108. T. II.

Ἐπιχρηστικόν. *Mibi vero videtur sicut Lydus ille apere  
 rre adversus seipsum non unicam januam, sed pluri-  
 mis difficultatibus & maximis involvere Epicurum.  
 Idem: (eee) Atqui eorum, quæ tu protulisti, ex-  
 emplorum ultimum primo loco tibi refragatur: im-  
 prudensque adeo mundum ἀντὶ τῆς προσηματικῆς ἰ-  
 ερσεῖν σελυδὸν ἀνοίξαι, loco ejus, quæ in proverbio  
 est, januæ contra te ipsum aperuisti. Sic Latinis  
 frequens est phrasis, patefacere alicujus rei  
 aditum &c. & Terentius, fenestram ad  
 nequitiam patefacere,  
 dixit.*

(eee) Symposiac. L. II. Quæst. III. f. 636.



IV.

*Meditatio de Abusu Scri-  
 pturæ Sacræ in adsignandis phæ-  
 nomenorum naturali-  
 um causis.*

§. I.

**Q**Uum omnes linguæ in hunc finem  
 inventæ sint, ut in vita communi  
 alter alterum intelligat, & vero in  
 communi vita de rebus tantum  
 solliciti simus, quatenus ad totius  
 com-

compositi conservationem & destructionem facere observantur, hinc ipsa verba ex recepto apud omnes gentes usu *proprie & originaliter*, non nisi *perceptiones* meras rerum, nos ambientium & corpus nostrum diversimode afficientium, hoc est repræsentationes, secundum certas leges, a mente factas, impressionum, in organis sensoriiis a rebus externis productarum, designant, prout ex accurato *propriarum significationum* singularum vocum in omnibus linguis examine elucescit.

§. 2. Quare, quam non in ipsa terra, quam inhabitamus, sed in sole observamus, lucis privationem, eclipsin non terræ, sed *solis proprie* vocamus; etsi causa apparentiæ hujus non in sole sed in luna, quæ terram solis luce privat, residet.

§. 3. Ex quo fundamento ipsa etiam Scriptura Sacra *exacte verborum proprietatem servare* dicenda est, dum terræ quietem, soli motum adscribit. Quum enim in communi vita illud *proprie* dicatur *moveri*, cujus imago in oculo spectatoris situm suum mutare percipitur, & contra illud dicatur *proprie quiescere*, cujus imago eundem semper situm in oculo spectatoris servare percipit; prius ergo in sole, posterius in terra a terricolis quotidie observetur: hinc sol *proprie moveri* & terra *proprie quiescere* dicitur.

§. 4. Cum autem eadem in oculo contin-  
gat

gat mutatio situs imaginis objecti, sive objectum ipsum sive oculus moveatur, manifestum est, causam hujus phaenomeni in observatione non contineri, et proinde ex illa sola nihil amplius inferri posse, quam *vel objectum vel oculum moveri debere.*

§. 5. Atque hinc manifestum est, sensus externos *proprie loquendo* nos nunquam fallere; sed nosmet ipsos nos fallere, quoties ratio falsam *sensus externi*, (cujus perceptiones simili modo se invicem consequuntur, quo veritates ipsius rationis inter se connectuntur,) determinationem in judicando sequitur, *plus inferendo ex apparentiis, quam ex illis* sequitur, in quo *judicii precipitatio* consistit. Ad praecipitandum autem judicium sensus internus rationem determinat, dum *ad credendum, quae saepe inter se connexa fuisse experti sumus, semper esse connexa determinat.*

§. 6. Haec erroris origo ex adducto exemplo patet. Quum enim ordinarie experiamur, causam, cur objecti imago situm in oculo nostro mutet, non oculi, sed objecti ipsius motum esse, ratio a sensu interno se determinari patitur ad judicandum, eandem etiam in observato solis motu in terra, (quam nunquam cum alio loco universi hujus commutavimus,) obtinere, non expensis sufficienter omnibus circumstantiis.

§.7. Quæ omnia cum attendenti sint manifesta, jam patet, quod sponte ex adductis, sequitur: *ridicule agere omnes illos, qui ex scriptura sacra, solam motus solis, & quietis terræ observationem recensente, nullibi autem hujus observationis, respectu terricolarum, causam naturalem determinante, falsitatis convincere student, astronomos & physicos, qui causam motus solis in terra observando, non solis sed ipsius terræ motum, ex rationibus longe gravissimis & divina sapientia dignissimis assignant.*

*Stephani VITTI,*

In Illustri Carolino, quod  
Cassellis Cattorum est Theol.  
Naturalis & Ethice Professoris

Schediasma, (a)

In quo Augustini, Lutheri, Supra-  
lapsariorumque sententia à Manichæismi ca-  
lumnia pro pace inter Protestantes faci-  
lius concilianda vindi-  
catur.

ARGUMENTUM.

Cum maxima sit malum cum Dei perfectionibus con-  
ciliandi difficultas §. 1, Alii hic prudentem *οικειν*  
profitentur §. 2, alii cum Epicuræis, Manichæis,  
LII 2 Pe-

(a) Quanquam illa, quæ ad controversias Theologi-  
cas spectant, ex hac Bibliotheca exesse malo, causæ  
tamen mihi sunt, cur cum maxime hoc schediasma  
heic exesse nolui. Si quis contra illud, quod mo-  
neat, habeat, is videt Auctoris, Viri doctissimi, nomen  
adscriptum. Ille adest, qui fecit. In eum conver-  
tat calanum. Gratulabitur ille sibi, si doctum atque  
æquitatis studiosum adversarium nactus fuerit. Sed  
illis velitationibus hoc opus non destinatum est.  
T. d. H.

Pelagianis Semi-Pelagianis & Infralapsariis cum Lutheranis tum Reformatis ita consulunt divinæ bonitati, ut læsæ divinæ Majestatis, potentiæ, independentiæ, beatitudinis rei, videantur §. 3. alii vero cum Philosophis quibusdam, Gnosticis, Libertinis, Stoicis atque Supralapsariis ita patrocinantur divinæ Majestati, ut iniquius de divina sanctitate, bonitate, justitia sentire videantur. §. 4. In his Supralapsariorum sententiam præstare ostenditur. §. 5. Ad Manichæismi vero calumniam diluendam, Manichæarum sententiarum ratio exponitur accuratius. §. 6. 7. a Manichæismi deinde calumnia liberantur Reformati §. 8. Supralapsariorum sententia Lutheri Supralapsarii verbis describitur. §. 9. eamque inoptissime, Manichæismi proprie dicti accusari demonstratur §. 10. Cum eorum adversarii veri Manichæismi rectius arguantur. §. 11. Conclusio irenica §. 12.

## §. I.

**C**um humanam mentem miserabilis adhuc & plurimarum rerum ignorantia, & utcunque cognitarum alias cum aliis componendi difficultas captam teneat atque constrictam: tum mihi profecto nulla major illa esse videtur, qua cum luctamur, quoties in eo elaboramus, ut mali, quod morale vocant, existentiam cum divina independentia & sanctitate conciliemus, jungamusque. Qui enim Dei virtutes propius intuentur, eam intelligunt divinæ majestatis atque independentiæ, quam vocare solent, esse rationem, at, quemadmodum ipse sua sibi soli omnia

refert accepta, ita quicquid extra Deum vel rerum est, vel in rebus aut perfectionum, aut imperfectionum, id omne ex sola Dei voluntate suspensum intelligatur. Qua tamen iidem ex altera parte Deum etiam & bonitate, & sanctitate, & justitia esse sciunt, non fieri posse facile existimant, ut Deus quicquam velle possit his virtutibus indignum. Hæc vero si quis ad mali existentiam referat, facile intelliget, neminem tam aut cæcutire, aut acute cernere, quin ex iis maximam difficultatem nasci sentiat. Quod si enim divinæ majestati atque independentiæ circa malum consulas, & ne malum quidem nisi ex Dei voluntate extra Deum existere posse arbitraris: divinæ sanctitati quæ derogent, statuere non poteris non videri. Sin contra potius divinæ sanctitatis atque justitiæ habeas rationem; negesque adeo mali existentiam divinæ voluntati tribuendam esse: quis quæso te, cum aliquid Deo invito, Deoque ingratum existere, posse adfirmes, non arbitretur divinæ majestati, independentiæ adde etiam beatitudini injuriam. Quas difficultates, quo quis hætenus sapientior fuit, quoque propius, & accuratius rem hanc omnem perpendit, eo & facilius sensit, & graviores judicavit. Origenes IV. libro adversus Celsum utcunque communem sententiam secutus, sapientissime tamen εἴπερ, ait, ἐν αἰδέσει τοῦ πᾶσι τῶν ἐν αἰδέσει ἐξουσίας θεοῦ δυοῖν ἐστὶ τῆ

Φυσει ἡμῶν, ἐν ταῖς κακοῖς ἢ τῶν κακῶν ταχθεῖν αἰ-  
 νεσεῖς. Quæ sic interpretamur; quodsi alius  
 quis locus in rebus humanis examine indigens, no-  
 stræ naturæ difficilis est investigatu, captuque, in his  
 utique etiam malorum origo ponenda est. Quam  
 etiam hæ difficultates male habuerint Augusti-  
 num, licet mali originem cum infralapsariis,  
 quos vocant, ad liberum nostrum arbitrium  
 retulerit, ipse profiteatur. V. Confess. L. VI.  
 c. 3. & 4. Quin sunt, qui, quod finita nostra  
 mens sit, ne fieri quidem unquam posse existi-  
 ment, ut Dei potentiam, qua efficiat omnia  
 ita, ut nihil fieri possit præter, nedum contra  
 voluntatem Dei, cum sanctitate, ejus concilie-  
 mus, qua malum non possit non & exsecrari,  
 & punire. Vide notas ad Geulingii ethicam  
 pag. 33.

§. 2. Quæ cum ita sint, nunquam non existi-  
 terunt viri sapientissimi, qui, cum præclare  
 intelligerent, nihil etiam in hoc genere esse  
 tam temerarium, nihil tam indignum sapien-  
 tis gravitate atque constantia, quam non  
 tantum falsum sentire, sed etiam, quod non  
 satis explorete perspectum sit, sine ulla dubi-  
 tatione tueri, hic maluerint sapientissima  
 quadam *σοφία* laudatissimam illam Philoso-  
 phorum *ἐπιχρη* amplecti, & Paulinum cum  
 Theologis *βαδῶς* adorare, quam sentiendi teme-  
 ritate quicquam statuere, quod vel majestate,  
 vel sanctitate divina posset videri indignū. (b)

Sa-  
 (b) Atque in has partes me inclinare, publice testari  
 non

Sapientissimum profecto hac de re exstat Jam-  
 blichi præceptum de myst. Ægypt. L. IV. 'Εε  
 LII 4 δε

non erubesco. Sæpe enim numero sepositis omni-  
 bus, quae forsitan ex Magistrorum meorum institutio-  
 ne hauseram, opinionibus, summa animi, quanta  
 quidem in hominem veritatis studiosum cadere pot-  
 est, contentione, rem ponderavi, & cum depre-  
 henderem, non deesse difficultates, quae nostrae ec-  
 clesiae sententiam premant, examinavi, quoad ejus  
 fieri potest, accuratissime των ἐξ ἐναντίας opinio-  
 nes. Et, cum in rebus dubiis, quarumque clara  
 nobis atque omni ex parte distincta non datur cogni-  
 tio, tutissimum sit, eas sequi partes; quae omnium  
 minimis scrupulis obnoxiae sunt, id mihi impen-  
 sissime investigandum esse duxi, num aliter sen-  
 tentiarum de origine mali doctrina minoribus sale-  
 bris, impediatur, quam, quibus nostram implicitam  
 esse volunt. Sed, ita me Christus amet, inveni, si non gra-  
 viores saltem non leviores aut solutu faciliores apud  
 hos restare nodos, atque ex eorum doctrina sequelas  
 fluere non minus sane difficiles, audituque asperas,  
 quam illæ sunt, quas nostris illi rationibus adscribunt.  
 Non itaque aliam potui cogitationum mearum sum-  
 mam facere, quam, nisi in summam Dei in OMNIA  
 ὑπερόχην, atque Imperium, independentiam, sa-  
 pientiam, injurius esse velis, id statuendum esse, quod  
 amicabili consortione & scriptura & ratio inculcat,  
 DEUM OMNIA ab aeterno & scivisse, & decrevisse,  
 & determinasse; dare OMNIBUS & vitam & halitum,  
 & OMNIA; in eo nos vivere, moveri, & esse; ex  
 eo, per eum, & ad eum esse OMNIA; cum operari  
 & VELLE & perficere; sine ejus voluntate ne pas-  
 serem quidem, vel pilum capitis in terram cadere;  
 omnia κατὰ τὴν εὐδοκίαν τῆς θελήματ<sup>ος</sup> αὐτῆς,  
 καὶ τὴν ὡλομένην βελὴν καὶ προγνώσιν fieri; Ab  
 al-

δε μη οιοι τε εσμεν ευρειν τα αιτια των πλημμε-  
 λως γιγνομενων, ου χρη προιεθαι την αληθη περι-  
 θεων ευνοιαν, εδεδια τα αμφισβητημενα ει γινε-  
 ται, η οπως γινεται, αφιστοιθαι χρη της οντως εναργης  
 περι θεων ευνοιας. Πολυ γαρ βελτιον αγνοειν προσο-  
 μολογησαι δια την απονιαν της δυναμews. πως τα  
 αδικα διαπραττεται, η συγχωρησαι περι θεων αδυ-

νατην

altera parte autem a Deo, purissimo omnis boni fon-  
 te, nihil emanare mali, neque eum auctorem mali  
 qua talis, multo minus, quod pariter horrendum dicitur,  
 Peccatorem esse. Porro autem quaeris, quomodo  
 haec inter se conveniant, atque in una sede moren-  
 tur? Quamquam non desint, quae afferam, malo ta-  
 men fateri, haec mihi ex eorum videri genere esse,  
 quorum innumerus est numerus, quae, cum eviden-  
 tissime cognoscamus, neganda nobis non sunt, et si  
 ratio illorum non satis accurate perspecta nobis atque  
 explorata est. Scio enim me homuncionem esse, cu-  
 jus scientia perquam arctis circumscripta est cancellis.  
 In iis praesertim rebus, quae summum illud Numen  
 concernunt. Memini me ex parte cognoscere, dum  
 vivo; uberio rem cognitionem futurae, quam un-  
 helo, vitae reservatam, exspecto. Prorsus itaque  
 subscribo eis, quae supra hujus tomi pag. 162, 163,  
 venuste ac sapienter scripta leguntur. Tantumque  
 abest, ut meam in hac causa IGNORANTIAM fate-  
 ri pudeat ut, si quis alius id mecum fassus fuerit,  
 illum ad aliquem sapientiae & scientiae gradum per-  
 venisse arbitrer. Ceterum illi, qui tam acriter de  
 mali origine disputant, parum interea de ejus sub-  
 latione solliciti, prorsus mihi similes videntur illi,  
 qui in profundam voraginem delapsus, dum, scrupu-  
 losius, quomodo ceciderit, & a quo fuerit praeceps  
 factus, disceptat; mavult perire misere, quam, qua  
 via inde emergat, omni providentia, conatuque cir-  
 cumspicere. T. d. H.

νατον π̄ ψευδο̄, περῑ ε̄ παντες̄ ε̄λληνες̄ τε, καὶ βαρ-  
 βαροῑ ἐναντιᾱ ἀληθως̄ διαδοξαζουσιν. Quæ nos  
 (cum alia versio jam ad manum non sit) ita  
 interpretamur. Quod si non possumus causas ma-  
 lefactorum deprehendere: non decet projicere verum  
 de Diis sensum, neque propter ea, quæ controver-  
 tuntur, utrum, & quomodo fiant (mala) disce-  
 dere oportet a vere claro de Diis sensu. Multo  
 enim satius est, confiteri, te ob virium imbecillita-  
 tem nescire, quomodo injusta perficiantur: quam  
 concedere de Diis falsum quid, quod fieri non possit,  
 cujus contraria omnes & Græci, & barbari vere  
 sentiant. Licet vero isti magnopere omnibus  
 illis suam prudentiam, integritatemque non  
 possint non probare, quibus satius esse vide-  
 tur judicium suspendere, quam temere sen-  
 tiendo gravissimi erroris periculum subire: ab  
 ultima tamen usque ætate semper fuere, qui  
 ex certis hypothesebus omnes hujus phæno-  
 meni difficultates expedire se posse arbitra-  
 rentur. Tantum vero abest, ut eandem  
 omnes sequuti sint hypothesin, ut potius tam  
 variæ hac de re exstent, tamque discrepantes  
 sententiæ, ut nulla amplius vere vel fingi  
 posse videatur, quæ suum hactenus auctorem,  
 atque principem non fuerit sortita. Omnium  
 vero de hac mali cum divinis virtutibus con-  
 ciliatione dissentientium divortia ad duas ge-  
 nerales classes omnino mihi referri posse vi-  
 dentur. Prior illorum est, qui ita patrocinan-  
 tur divinæ bonitati, sanctitati atque justitiæ,

ut contra a dissentientibus læsæ divinæ majestatis, independentiæ, beatitudinis accusentur. Ad posteriorem autem refero eos, qui ita consulunt divinæ majestati, independentiæ, beatitudini, ut adversariis suis divinæ bonitatis, sanctitati, justitiæ derogare videantur.

§. 3. Ad primam classem refero I. cum Epicuræos, qui, quoniam το μακαριον και ἀφθαρτον ἔτε αὐτο πραγματικα ἔχειν ἔτε αἴτιον παρεχειν ὡσε ἔτε ὄργανα, ἔτε χερσὶ συνεχεῶσαι, quod beatum atque incorruptibile est, neque ipsum negotia habere, neque alii exhibere, ita ut neque iri neque gratis angatur (Diogene L. X. §. 139. teste) existimarunt, το θειον (ut Epicteti Arriani loquitur L. I, c. 12.) ἀργον και ἀμελες, και μη προνοειν μηδεν, Deum sine opere & cura esse, neque cuiquam prospicere censuerunt: tum vero illos, qui το θειον προνοειν quidem statuunt, αἴτια των μεγαλων (iterum cum Epicteti Arriano loquor) και ἔργων, των δ' ἐπι της μηδεν; tum denique illos, qui largiuntur quidem το θειον προνοειν και των ἐπι της και των ἔργων, εἰς κοινον δεμονον, και ἔχει δε κατ ἰδιαν ἕκαστ i. e. providere quidem æque terrestribus atque cœlestibus, sed in commune tantum, neque cuique seorsim. Ad hos pertinent omnes illi, qui vel cum Socinianis Deum posse vel cum Poireto velle antea malum nosse, quam existat, negant. Isti omnes veriti, ne admissa Dei circa malum providentia & præscientia, divinæ beatitudini atque sanctitati viderentur injurii, facile conciliari malum cum divinis virtutibus posse

posse arbitrati sunt: si Deum ab omni circa bona æque atque mala, vel mala tantum ante, quam admittantur, cura & providentia liberum, solutumque pronunciarent. 2. Eos, quos communiter Manichæos, in genere vero melius cum Prudentio Duitas vocant. Isti cum & Deum providere rebus omnibus gravissimis argumentis adducti scirent, & malum Dei voluntate indignissimum existimarent, egregie se omnibus difficultatibus satisfacturos putabant: si, quemadmodum Deum solius boni auctorem facerent; ita malum omne vel a materia, vel ab alio quodam principio a Deo independente, æterno, optimoque Numini adverso, inimicoque derivarent. 3. Plerosque ex Gentilibus, Judæis, Christianis, & in his omnes Pelagianos, Semi Pelagianos, Lutheranos recentiores, ipsosque ex Reformatis infralapsarios. Hi omnes circa malum motas difficultates felicissime expeditum iri arbitrantur: si omnem mali causam libero tantum mentium conditarum arbitrio vindicarent; Deo autem nihil præter cognitionem, gubernationem, vindicationem relinquerent. Optime enim hac ratione se consequi arbitrantur, ut & divina sanctitas ab omni labe immunis conservetur: & divinæ etiam independentiæ satis in eo consulatur, quod non tantum mentes ipsas, quæ male agunt, a Deo dependere non negent; Sed ipsi quoque Deo & futuri mali certam scientiam, & dum ad-

mit.

mittitur, permissionem atque gubernationem  
& admissi vindicationem adscribant.

§. 4. Posterior classis complectitur 1. eos, qui sanctitatem Dei, qua malum averfatur, ad divinæ voluntatis indifferentiam referunt adeo, ut existiment, fieri potuisse, ut ex Dei voluntate eadem, quæ mala jam sunt, bona fuissent, & vice versa. Hinc facile se malum cum divina providentia conciliare posse arbitrantur: cum ex illorum sententia Deo nihil absolute malum aut esse, aut videri possit. Huc pertinent, si qui veteres, recentioresve vel cum Euclide Megarensi (teste Diogene Laërtio in ejus vita paragr. 106.) *Τὰ ἀντικειμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνθρώπων, μὴ εἶναι φασκόντες* i. e. *Opposita bono sustulerunt, negantes ea existere*, vel cum doctissimo Kingio nihil externum Deo bonum aut malum ante electionem fuisse arbitrantur, vel cum quibusdam Gnosticis, recentioribusque Libertinis ita Deum omnia in omnibus operari adfirmant, ut etiam, quemadmodum loquuntur, Davidis adulterium non tam Davidis, quam ipsius Dei in Davide opus fuisse blasphemæ dicere non dubitent negentque, adeo proprie loquendo ullum malum morale esse. 2. Ex Gentilibus Stoicos, qui ipsa etiam mala cum bonis ex summi Jovis sui æterna & immutabili lege suspenderunt. *Ἄλλο- rum vero ἐπιμαρμενή, πεπωρωμένη, μοιραία, ἀδρα- σία, ἀνάγκη, χρεῶν, φέρον.* *Fatum, fatalis necessitas, non ex adversariorum suorum calu-*  
mni.

mniis explicanda, sed quo ipsi voluere sensu  
 accipienda. Sic Seneca veræ Stoicorum sen-  
 tentiæ interpres omni exceptione major, de  
 Providentia c. V. *Ille ipse omnium conditor, ac  
 rector scripsit quidem fata, sed sequitur. Semper  
 paret, semel iussit.* & de Benef. VI. 27. *Non ex-  
 terna cogunt Deos. Sed sua illis in legem aeterna  
 voluntas est. Statuerunt, quæ non mutarent:  
 - - nec unquam primi consilii deos pœnitet - - nec  
 imbecillitate permanent, sed quia non libet ab optimis  
 aberrare, & sic ire decretum est.* 3. Illos ex  
 Christianis, qui quidem Dei sanctitatem, qua  
 malum, ut malum Deum velle posse negant,  
 ad illius naturam referunt: sed posse tamen  
 dicunt Deum salva sua sanctitate velle ejusmo-  
 di bonum, quod consequi Deus nisi existente  
 malo non possit. Itaque existimant, Deum  
 salva sua æterna immutabilique sanctitate ex  
 infinitis rerum possibilium ordinibus non te-  
 mere, sed certo, sapientissimoque consilio  
 eum & ante jacta mundi fundamenta defini-  
 visse, & cum rerum principio constituisse, quo,  
 cum etiam mali atque peccati existentiam  
 complectatur, nihil esse, aut fingi possit ad  
 divinæ & misericordiæ & justitiæ gloriam  
 aut excellentius, aut illustrius. His mihi  
 verbis Adrumetinorum forte quorundam  
 Monachorum, Prædestinatianorum, Gotte-  
 schalci, Wiclefi, Vallæ, Lutheri, Zwing-  
 lii, Calvinii &c. Gomari deinde, Twissi, &  
 recentiorum quorundam, ut Naudæi, illu-  
 stris-

strisque maxime Leibnitii, & ut uno nomine omnes censeam, Supralapsariorum hypothesin recte descripsisse videor. Isti igitur non infelicititer omnes difficultates ex hac sua sententia si non penitus tolli, mitigari tamen posse existimant. Uti enim omnium optime summæ Dei independentiæ, absolutissimo in res reliquas omnes imperio, maximæque felicitati consulunt: ita nihil se divina sanctitate indignum admittere arbitrantur, quando non tantum Deum salva sua sanctitate malum committere, adeoque proprie loquendo mali auctorem esse, sed etiam malum quatenus malum velle posse negant: licet Deus salva sua sanctitate id bonum velle, adeoque ejus boni auctor esse posse illis videatur, quod consequi nequeat, nisi existente malo.

§. 5. Utcunque vero hi omnes summa virium suarum contentione in eo elaboraverint, ut mali existentiam, cum divinis virtutibus conciliarent: tantum tamen abest, ut vel ipsis difficultatibus, vel saltem nostris præjudiciis satis fecisse existimentur, ut potius qualemcunque ex his hypothesin sequaris, aliam quidem alia faciliorem, felicioremque sentias; nullam tamen ita comparatam, quin quosdam adhuc scrupulos & quasi aculeos in nostris mentibus relinquat. Nostris enim animis tanta est ex infinitis præjudiciis atque erroribus hebetudo, ut non tantum falsum malumque fa-

cilli-

cillime nobis veri atque boni speciem mentia-  
 tur; sed etiam, ut eo minus interdum ipsam  
 quoque veritatis lucem recta mentis acie in-  
 tueri atque ferre possimus, quo illa clarior est,  
 quoque magis a præjudiciorum nostrorum  
 consuetudine abhorret. Ut adeo, licet quis  
 hic veram hypothesein sequatur, nisi tamen  
 eadem facilitate nostra de divinis perfectio-  
 nibus præjudicia illustrarit, discussitque  
 parum adhuc feliciter in hoc argumento ver-  
 satus esse plerisque non possit non videri.  
 Quæ cum ita sint, neminem facile futurum ar-  
 bitror, quin mecum Epicuræorum, Mani-  
 chæorum, Libertinorumque sententias, tan-  
 quam divinis virtutibus iniquas, repudiandas  
 esse existimet, arbitreturque, aut, cum iis hic  
 sentiendum, qui prudentem & piam quandam  
oie ψ. iv in hoc argumento profitentur, aut, si  
 quæ conciliatio tentanda, eam ex Christiano-  
 rum aut infralapsariorum, aut supralapsario-  
 rum mente esse instituendam. Ex his vero  
 duabus hypothesisibus uti infralapsariorum  
 (quo nomine eos omnes hic censeo (c) qui  
 pri-

(c) Nescio, an hic Infralapsariorum opinio satis distin-  
 Æte sit expressa. Ego cum iis facere me fateor, qui  
 Deo æternam homini sortem decernenti, hunc  
 non aliter, quam creatum & lapsum obversari po-  
 tuisse contendunt. Vasa enim misericordiae, i. e.  
 electi, nequeunt considerari talia, i. e. misericor-  
 diae capaces, nisi ut miseri simul, i. e. lapsi confide-  
 rentur. Vasa autem irae nequeunt dici destinata esse  
 ad

primam mali originem investigaturi non ultra creatarum mentium lapsum adscendunt) sententia obiter tantum hoc argumentum versanti non potest non videri facilior, magisque expedita: ita totam hanc rem propius intuentibus, liberiusque excutientibus nulla facile videbitur Supralapsariorum sententia aut rationi scripturaeque convenientior, aut ad mali difficultates expediendas facilior, illustriorque. Licet enim Infralapsarii eo maxime nomine glorientur, quod sua hypothesis uti media inter Manichæorum & Supralapsariorum scopulos, ita etiam tutissima via naviget: ex iis tamen, quæ inferius dicentur, intelligetur, idem illis accidere, quod iis solet, qui medias ejusmodi sententias temere sectantur. Dum enim id agunt, ut neutrius partis difficultatibus premantur, utriusque sæpius impediuntur.

§. 6. Ex iis vero, quæ hæcenus dixi, facile jam existimare licet, quo jure quave injuria cum Reformati omnes, tum vero maxime Supralapsarii Manichæismi arguantur. Cum itaque immites pacis hostes, quæ inter Protestantibus hodie haud infeliciter videtur tentari, nobis ad ravim usque Manichæismi crimen ogganniant, an pacem hanc promovendam confer-

ad pœnam, nisi eos consideres, tanquam poena dignos i. e. peccatores, adeoque & creatos & lapsos. Et, si hæc est sententia Infralapsariorum, inter eos quoque ego noxam meam profiteor. T. d. H.

ferre non nihil mihi videor, si argumentis al-  
 tius repetitis etiam hunc obicem removeam.  
 In hac autem calumnia refutanda felicissime  
 me versaturum existimo, si veram Mani-  
 chæorum sententiam ex antiquitate Ecclesia-  
 stica primum eruam, expediāque, deinde  
 cumeos, qui ex Reformatis cum Augustino  
 sentiunt, tum vero prolixius supralapsarios  
 ab iniquo Manichæismi crimine defendam  
 atque vindicem. Cum igitur nulla fere se-  
 cta atque hæresis sit, in cujus erroribus descri-  
 bendis majori cum diligentia versata fuerit  
 antiquitas, si ab hac una discesseris: tum ve-  
 ro Augustini autoritas gravissima, omnique  
 exceptione major est. Ex hoc vero in descri-  
 benda vera Manichæorum sententia ex pluri-  
 mis ea tantum producam loca, quibus vel er-  
 roris fundamentum, vel ea continentur, ob  
 quæ adversarii nunquam non orthodoxe  
 sentientes Manichæismi arguerunt. Teste  
 itaque Augustino libro de hæresibus §. 46. iste  
 duo principia inter se diversa, & adversa, ea-  
 demq; æterna, & coæterna, hoc est, quæ semper  
 „ fuerunt composuit: duasque naturas atq; sub-  
 „ stantias boni scilic. & mali, sequens alios anti-  
 „ quos hæreticos opinatus est. Quarum inter se  
 „ pugnam & commixtionem, & boni a malo  
 „ purgationem, & boni, quod purgari non  
 „ poterit cum malo in æternum damnationem  
 „ secundum sua dogmata asseverantes multa  
 „ fabulantur - - - coguntur dicere, anti-

, mas bonas, quas censent ab animarum mala-  
 ,,rum naturæ scilicet contrariæ commixtione  
 ,,liberandas, ejus, cujus Deus est, esse natu-  
 ,,ræ - - - - In homine tenebras captiva-  
 ,,tam tenere divinam substantiam - - -  
 ,,Peccatorum originem non libero arbitrio  
 ,,voluntatis, sed substantiæ tribuunt gentis ad-  
 ,,versæ, quam dogmatizantes esse hominibus  
 ,,mixtam omnem non Dei, sed malæ mentis  
 ,,perhibent esse opificium, quæ e contrario  
 ,,principio Deo coæterna est. Carnalem  
 ,,concupiscentiam - - - non ex vitiata in pri-  
 ,,mo homine natura nobis inesse infirmitatem,  
 ,,sed substantiam volunt esse contrariam, sic  
 ,,nobis adhærentem, ut quando liberamur,  
 ,,atque purgamur, separetur a nobis, & in  
 ,,sua natura etiam ipsa immortaliter vivat:  
 ,,easque duas animas, vel duas mentes, unam  
 ,,bonam, alteram malam in uno homine inter  
 ,,se habere conflictum - - - - Idem  
 Augustinus de vera Relig. cap. 9. ,,Duas na-  
 ,,turas vel substantias singulis principiis ad-  
 ,,versus invicem rebelles esse arbitrantur.  
 ,,Offensi enim quibusdam rebus, & rur-  
 ,,sus quibusdam delectati, non earum qui-  
 ,,bus offenduntur, sed earum, quibus dele-  
 ,,ctantur, volunt esse auctorem Deum &c.  
 ,, - - - ingenitum mali principium quodam  
 ,,tempore adversus Deum rebellasse, Deum  
 ,,autem cum aliud, quod faceret, non habe-  
 ,,ret, & quomodo aliter posset hosti resistere  
 ,,non

„non inveniret, necessitate oppressum misis-  
 „se huc animam bonam, & quandam particu-  
 „lam suæ substantiæ, cujus commixtione atque  
 „miscela hostem temperatum esse somniant,  
 „& mundum fabricatum. Idem contra duas  
 „epistolas Pelag. L. II. c. 2. Manichæi carnis  
 „concupiscentiam non tanquam accidens vi-  
 „tium, sed tanquam naturam ab æternitate  
 „malam vituperant, - - - negant homini  
 „bono ex libero arbitrio fuisse initium mali  
 „- - - sed dicunt, animam particulam Dei  
 „naturæ malæ commixtione habere peccatum.  
 „& Detract. Lib. I. Negant ex libero voluntatis  
 „arbitrio mali originem duci, & Deum, si ita  
 „est, creatorem omnium naturarum culpan-  
 „dum esse contendunt: eo modo volentes  
 „secundum suæ impietatis errorem immutabi-  
 „lem quandam & Deo coæternam introdu-  
 „cere mali naturam. Et de continentia cap. V.  
 „Tunc se peccare dicunt, quando natura mali  
 „prævalet naturæ Dei. Adde his, quæ So-  
 „crates hist. Eccles. L. I. c. 17. tradit, quando  
 „Manichæorum libros χειριανίζειν μὲν τῆ φω-  
 „νῆ, αἰτ, τοῖς δὲ δογμασὶν ἐκζητίζειν. ποῦθεν γὰρ  
 „θεοῦ σεβειν - - - καὶ εἰμαρμένην εἰσάγειν, καὶ τὸ  
 „ἐφ' ἡμῖν ἀναίρειν &c.

§. 7. Ex quibus facile colligitur, πρῶτον  
 ψευδῶ & fontem reliquorum errorum  
 omnium esse illum de duobus diversis, sibi  
 invicem adversis, & coæternis, uti loqueban-  
 tur, principiis sententiam. Hanc vero sen-

tentiam ex difficultate malum cum Dei bonitate & sanctitate conciliandi natam unanimes consensu veteres tradiderunt. Sic Tertullianus Lib. I. contra Marcionem ex difficili quaestione, unde malum sit ortum, sententiam de duobus principiis natam, confirmatamque fuisse docet: abusosque Cerdonem, Marcionemque capitulo dominicae pronuntiationis de bonis, malisque arboribus, quod neque bona malos, neque mala bonos proferat fructus. Augustinus L. II. de moribus Manichæorum, *semper quaeritis*, ait, *unde sit malum.* & in oper. imperf. contra Julianum L. V. *Cum quaerunt a nobis, unde sit malum - - respondemus eis non esse malum ex Deo, neque coaeternum Deo; sed malum ortum esse ex libera voluntate naturae rationalis - - - Manichæus pergit, si ex libera voluntate naturae rationalis est malum, unde sunt illa tot mala, cum quibus nasci videmus, qui nondum libertate voluntatis utuntur? Unde est concupiscentia, qua caro concupiscit adversus spiritum, & ad peccatum perpetrandum trahit, nisi adversus eam spiritus fortius concupiscat? Unde in homine uno duarum rerum, ex quibus constat, tanta discordia? Unde lex in membris repugnans legi mentis, sine qua lege nemo nascitur? Unde tot & tanta vitia vel ingeniorum, vel corporum, cum quibus plerique nascuntur? Unde labores & calamitates nondum voluntate peccantium parvulorum: &c. &c. Ex quibus jam facile ratio iniri potest omnium Manichæismi errorum, quos haecenus recensui.*

fuimus. Animadverterunt enim in uno homine & bona, & mala. Quæ tanquam diversissimæ & contrariæ plane naturæ fructus ad eandem arborem referri ab omni ratione alienum existimarunt. Natæ hinc duæ contrariæ & adversæ sibi in uno homine animæ. Quarum altera sua natura adeoque necessario bona cum sit, non possit non causa esse bonarum actionum: altera vero, cujus tota substantia quoque mala sit, malarum. Hinc omne in homine arbitrium sustulerunt. Quoties enim in perpetuo illo, quem finxere, conflictu bona anima superior sit, toties necessario fieri bonum, malum vero, quoties mala. Uti vero in homine a bona anima mala proficisci posse negarunt: ita tam malam animam a Deo derivari non posse censuerunt, quam necessario à Deo non dependeant, nisi quæ optima sint. Unde ipsis alio principio opus erat, cui soli omne malum acceptum referrent. Sed nullus esse potuit huic principio locus, nisi illud & diversum a Deo, & adversum inimicumque, & independens, & quodammodo potentissimum, & ingenitum æternumque existimarent. Diversum esse debuit, quia malum ab Optimo principio cum derivari non possit, diversam causam atque originem requirit. Adversum, inimicumque Deo dixere, quia a quo divina sanctitas necessario abhorret, id non potest, non cum Deo divinisque perfectionibus pu-

gnare. Independens a Deo hoc mali principium credere, etiam ratione substantiæ. Quia Deus ipsis auctor peccati dicendus non temere videbatur. Sive malam substantiam produceret, sive substantiam, quæ male agere posset. Nequire enim substantiam a Deo utcunque bonam productam peccare sine omni Dei culpa. Potentissimum porro non potuere non hoc suum principium cedere, quia plurimum valeat id oportet, quod invito & obnitente Deo existere possit. Denique ingenitum & æternum etiam ex his ipsis esse debuit. Quod enim cum existit, a Deo non dependet, si à nihilo nihil fieri possit, æternum esse necesse est atque ingenitum. Ex his perspicere licet, Manichæorum sententias ex uno hoc principio, Deum abhorrere ab omni malo, neque adeo hoc existere posse nisi invito & obnitente Deo necessario quodam ordine & nexu ita dependere, ut qui primum admisit, si sibi constare velit, ne posteriora quidem negare posset. Quod si profecto Manichæi tam divinæ independentiæ, æternitati, potentiæ, beatitudini consulerent, quam sanctitati, atque bonitati videntur: sine hæsitatione illorum hypothesein reliquis omnibus præferrem. Illis saltem, qui malum Deum non velle posse dicunt, Manichæos, si Bælium maxime, vel Bælii, similem sortiantur vindicem, revera invictos esse: neque nisi aut ex Epicuræorum, aut ex

Supralapsariorum sententia refutari unquam posse, tam me scire existimo, quam vivere. Nihil ego, si ab iis discefferis, quæ Infralapsarii Manichæorum apud Bælium argumentis hactenus opposuere, vel alienius vidi unquam, vel frigidius.

§.8. Exposita itaq; vera & genuina Manichæorum sententia, satis profecto mirari non possum, qui fieri potuerit, ut, cum Reformatorum publica sententia, quæ in Synodis confirmata, & in libris Symbolicis accurate descripta est, circa primam mali originem a reliquis infralapsariis non discrepet, Manichæismi tamen a Pelagianis, Semi-Pelagianis, Lutheranisque arguatur. Nostri enim cum Augustinum satis sequantur, mali originem nunquam non ad liberum arbitrium referunt. Ut quæ Augustinus operis imperfecti contra Julianum L. V. proponit, iis etiam publica Ecclesiæ nostræ doctrina contineatur: *Manichei cum quærent a nobis, unde sit malum, volentes introducere malum Deo coeternum, nescientes, quid sit malum: idque putantes esse naturam, atque substantiam: respondemus eis, non esse malum ex Deo, neque coeternum Deo; sed malum ortum esse ex libera voluntate naturæ rationalis, quæ bene a bono condita est - - - habuit peccandi possibilitatem, non tamen necessitatem.* Ut adeo Manichæismi argui non possint ratione originis mali, qui Augustinum sequuntur, nisi ab omnium harum rerum ignarissimis. Quod

vero nostri particularem gratiam cum Au-  
 gustino admittunt, in eo nihil sentiunt, quod  
 propius vel a Manichæismo absit, vel Deum  
 magis peccati auctorem facere videatur,  
 quam quæ etiam Lutherani (cum his enim  
 maxime hic agimus) arbitrantur. Cum  
 enim de electis nullus fere dissensus sit, utrin-  
 que enim conceditur, electos sua, nulla Dei,  
 culpa peccatores exstitisse, dignosque adeo  
 fuisse æterna damnatione, pro iis Christum  
 mortuum & vere satisfecisse, sola denique  
 illos Dei gratia, nullis suæ voluntatis viribus  
 & regenerari, & remissionem peccatorum,  
 atque vitam æternam consequi: tum vero  
 omnis dissensus maxime circa reprobos ver-  
 satur, & in eo uno tantum consistere videtur,  
 quod nobis Deus post primum jam peccatum  
 de reprobis ea statuisse videatur, quæ ipsi  
 Deum vel post terminum gratiæ, quem multi  
 ex illis admittunt, vel post impœnitentiam  
 finalem de iisdem statuere existimant. Quod  
 vero nostri neque Christum pro reprobis sa-  
 tisfecisse, neque Deum proprie loquendo re-  
 proborum salutem velle tuentur: eo longius  
 a Manichæismo recedunt, quo magis serio,  
 quoque majori cum contentione Deum  
 omnium salutem velle Manichæi existimant.  
 Ut hic Lutherani ipsi eo propius a Mani-  
 chæismo abesse videantur quo longius a no-  
 bis discedunt. Non quidem diffiteor etiam  
 Augustinum Manichæismi à Pelagianis jam  
 olim

olim accusatum fuisse cum ob peccatum Originale, tum ob negatam libertatem. Audiamus hac de re ipsum Julianum ex Augustini Lib. II. de nuptiis & concupiscentia; „Non intelligentes (orthodoxi) quantum his (Pelagianis) contulerint honoris, quorum ostenderunt gloriam nisi cum Catholica religione non potuisse condelli. Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Cœlestianus, & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur heretici, fiunt Manichæi, & dum falsam verentur infamiam, verum crimen incurunt. &c. Ad hæc vero ipse Augustinus pluribus locis cum toto cœlo dissidere sua a Manichæis solidissime ostendit, tum vero optime monet, si vel maxime eadem sentirent Manichæi, numquid propterea dicere non debemus, quod bonus Deus fecerit mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus? - - - Item si interrogemur, utrum sit Deus, & nos & Manichæi respondemus, est Deus: & in hoc utrique separamur ab illo stulto, qui dixit in corde suo, non est Deus - - - nec ideo tamen vel nos sumus Manichæi, vel ipsi catholici sunt, &c. &c. August. T. X. pag. 924. Quemadmodum vero hanc Pelagianorum calumniam satis ab ipso Augustino refutatam novimus; ita nescimus, qua fronte ferociores, quidam nos ea propter Manichæismi arguant, in quibus tamen, nisi, quemadmodum a Luthero pedibus in omnia alia discedunt, ita etiam a libris suis Symboli-

eis dissentire velint, eadem plane nobiscum sentiunt. Quis enim adeo rudis esse potest, quin cognoscat, nostros omnes & cum Augustino, & cum Formula concordiae peccatum originale, sive (uti in Articulis Smalcaldicis vocatur) tetram & profundam naturae ex primo peccato corruptionem contra Manichæos, Flaccianosque ab ipsa animæ natura atque substantia maxime distinctam tradere. Ut adeo mirari satis non possim illorum iniquitatem, qui cum doctissimo J. C. Wolfio in Manich. arte Manich. pag. 200. & E. illo, qui imperitissima & malitiosissima calumniandi, & dissidia serendi, fovendique prurigne illaudatam nominis celebritatem publica auctoritate (d) coërcendam consequutus est, ob communem nostram de peccato originali sententiam nos Manichæismi arguere non desistunt. Idem autem de peccato originali cum Lutheranis sentire nequimus, quin si sibi constent, & nobiscum & cum Formula sua (e) concordiae, idem etiam de libero arbitrio

(d) Id vero fore his diebus spes aliqua facta est. Sed, quid dicas? Lege sodes, & confer B. L. locum Matth. XII: 45.

(e) Hunc librum inter Symbolicos ecclesiae Lutheranae recenseris notum est. Non tamen crediderim ab omnibus ejus membris illis Θεοπνευσιας adscriptum iri, quod tamen a S. Schelguigio & Theodoro Dasfovio, haud parvae inter eos existimationis Viris, factum est. Saltim, nemo id fecerit, quoad ipsa verba

trio ante regenerationem non possint non nobiscum sentire. *Manifestum est* (verba hæc sunt Formulæ Concordiæ pag. 664.) quod *Augustana confessio, hominis voluntatem in rebus spiritualibus, haudquaquam liberum pronunciet: sed affirmet, hominem esse in Diaboli potestate* - -  
 - In articulis Smalcaldicis sequentes errores de libero arbitrio rejiciuntur: quod homo liberum habeat arbitrium bonum agendi, & malum omittendi &c. Quod si profecto antequam homo (ut eadem Formula habet pag. 662.) per spiritum sanctum illuminatur, convertitur, regeneratur, & trahitur, ex sese, & propriis naturalibus suis viribus in rebus spiritualibus, & ad conversionem aut regenerationem suam, nihil inchoare, operari aut cooperari potest, nec plus quam lapis, truncus, aut limus; imo hac in parte (vide pag. 673.) multo deterior est lapide aut trunco, quia repugnat verbo, & voluntati Dei, donec Deus eum a morte peccati resuscitet, illuminet, atque renovet: &c. &c. tam nul-

ba Latinae editionis, quæ a. 1580. *communi consilio* (ita titulus præ se fert) & *mandato Augustanae Confessionis Electorum, Principum, ac ordinum Imperii, & erudiendis & monendis subditis, ecclesiis & scholis suis ad memoriam posteritatis typis vulgata est Lipsiæ in forma quadrifariam divisa, ubi pag. 317. ita lego; Christus summum & ultimum FERCUOLUM apponit ecclesiæ, tam inquit, dic ecclesiæ. In Germanica editione scriptum fuerat, das letzte Gericht; hoc est, Urtheil; sive; JUDICIUM; Ex hoc judicio non nimis acricum judicio apparatus est ferculum; Sapidum sane, & dignum, quod lepido illi translatoris esurienti appositum fuisset. T. d. H.*

nullum nostrum erit ad bonum arbitrium, etiam ex Orthodoxorum Lutheranorum sententia, quam ex Augustini, nostraque. Ex quibus patet, publicam Reformatorem sententiam tantundem & a Manichæismo, & ab eo abesse, quod Deus auctor mali sit, quantum ipsa Lutheranorum sententia abest. Quo vero Reformati propius, quam Lutherani a Supralapsariis abesse videntur: eo etiam ipsos longius a Manichæismo recedere, in sequentibus demonstrabo.

§.9. Uti igitur præcedenti paragrapho feliciter nos eas sententias, quæ solæ Reformatæ Ecclesiæ tribuendæ sunt, a Manichæismo vindicavimus, ita in sequentibus in eo elaborabimus ut Supralapsarios ab hac ipsa iniquissima calumnia liberemus. Quorum sententia cum & privata tantum quorundam, non vero publica sit ecclesiæ Reformatæ, & ipsius quoque Lutheri, aliorumque fuerit, qui in Lutheranæ Ecclesiæ gremio nati educatique sunt: iniquissime & ipsa, & quicquid absurdi ex illa consequi videtur, cum solis imputatur Reformatis, tum universis. In hoc autem argumento ita versabor, ut veram Supralapsariorum mentem primo expositurus, deinde a Manichæismo liberaturus, & tandem quid de ea adversariorum criminatione, quod Deum auctorem mali constituere videatur, judicandum sit moniturus sim. Veram autem non Reformatorum sed Supralapsariorum sententiam de-

descripturus ipsius in his divini Lutheri ver-  
 bis utor, cum quia nemo eo hac de re vel  
 gravius, vel rotundius locutus mihi videtur:  
 tum vero ut habeant, in quo se exercent, qui  
 uti pedibus in omnia alia discedunt ipsius di-  
 scipuli; ita quo quisque rudior, indoctior,  
 ferocior est, eo magis Reformatos utcunque  
 infralapsarios Manichæismi stolidissime ar-  
 guunt, minusque dignos censent, quibuscum  
 pax atque concordia ineatur & colatur. Au-  
 diamus Theandrum nostrum primo ex Eras-  
 mo, ab initio plag. d. diatribæ de libero arbi-  
 trio (qua enim ego edit. anni 1524. utor, pa-  
 ginarum numero destituitur;) *Quid sibi vult  
 ubique laudata obedientia* (ita argumentatur  
 contra Supralapsarios Erasmus,) *si ad bona  
 & simul mala opera tale sumus instrumentum Deo,  
 quale securis est fabro. At tale instrumentum sumus  
 omnes, si verum est dogma Wyclevi. Omnia &  
 ante gratiam, & post gratiam bona pariter, ac ma-  
 la, quin & media, mera necessitate geri, quam sen-  
 tentiam approbat Lutherus. Quod ne quis a me  
 confictum causetur, ipsius verba subscribam ex asser-  
 tionibus. Unde, inquit & hunc articulum necesse est  
 revocare, male enim dixi, quod liberum arbitrium  
 ante gratiam sit res de solo titulo, sed simpliciter de-  
 bui dicere, liberum arbitrium est figmentum in rebus,  
 seu titulus sine re, quia nulli est in manu quippiam  
 cogitare mali, aut boni, sed omnia, ut Wyclevi  
 articulus Constantiæ condemnatus recte docet, de ne-  
 cessitate absolute eveniunt. Ad hæc jam Luthe-*

rus ipse de seruo arbitrio pag. mihi 113. edit. Argent. 1707. *Christiani, inquit, non libero arbitrio, sed spiritu Dei aguntur Rom. 8. Agi vero non est agere, sed rapi, quemadmodum ferra aut securis a fabro agitur.* Et hic ne quis dubitet Lutherum tam absurda dicere, verba ejus recitat diatribe, *QUÆ SANE AGNOSCO, Fateor enim articulum illum Viglephi (omnia necessitate fieri) esse falso damnatum Constantiensi conciliabulo, seu conjuratione potius & seditione.* Tantum vero abest, ut hæc se vere sentire neget Lutherus, ut potius durioribus adhuc verbis, quam quibus alii Supralapsarii uti licere existimant, eandem suam sententiam ubique confirmet. Laudat enim pag. 22. Gentilium factum pag. 34. probat contra Erasmus illud Augustini, *Deum operari bona & mala in nobis, sua bona opera remunerari in nobis, & sua mala opera punire in nobis.* Si hæc tibi cum Erasmo videantur dura, si fenestram mortalibus ad omnem impietatem hanc vocem aperire dixeris: egregie subjicit Lutherus, *Paulum Apostolum in epistola ad Romanos non in angulum, sed in publicum coram toto mundo liberrimo ore, eadem etiam durioribus verbis palam docuisse & pag. 37. Hic est fidei summus gradus, credere, illum esse cle-*  
*mentem, qui tam paucos salvat, tam multos damnat, credere justum, qui sua voluntate nos necessario damnabiles facit, ut videatur, referente Erasmo, delectari cruciatibus miserorum, & odio potius, quam amore dignus &c. &c. pag. 164. Si placet tibi*

tibi Deus, indignos coronans, non debet etiam displicere immeritos damnans. Si illic justus est, cur non hic justus erit? Illic gratiam & misericordiam spargit in indignos, hic iram & severitatem spargit in immeritos: utrobique nimius, & iniquus apud homines, sed justus est verax apud se ipsum &c. Quæ vero adfert ad hanc divini Lutheri sententiam non tam molliendam atque mitigandam, quam penitus pervertendam doctissimus Schmidius, ea Geticis pruinis frigidiora sunt. Si fidem habeas lepidò huic interpreti, ridicule tibi persuadebis, ea Lutherum de omni hac re cum Erasmo, & recentioribus suis discipulis sensisse, quæ toto hoc libello solidissime, & summa virium contentione refutatum, profligatumque ivit fortissimus heros. Nemo profecto mihi videtur id agere hic posse, ut aliis persuadeat, Lutherum diversa hic sensisse, quum quæ Erasmus refutat, Lutherus tuetur: nisi vel ipse deliret, vel alios delirare existimet. (f)

S. 10.

(f) Nihil mihi facilius foret, quam ejusmodi quam plurima ex magni illius Viri scriptis excerpere, in quibus eum aperte Calvinizare, aut, ut rectius dicam, cum sacra scriptura loqui deprehendo. Quæ, cum ibi lego, vix oculis meis credo, atque attonitus obstupeo, quomodo fieri queat, ut quando nostri Theologi ita loquantur, uti D. locutus est Lutherus, in hoc quidem omnia approbentur, summissaque in coelum efferantur laudibus, in illis autem, eadem tanquam horrendæ blasphemiae, proscribantur, atque anathematizentur. Itane duo cum faciunt

§. 10. Hanc vero Supralapsariorum, Lutheri verbis licet durioribus descriptam sententiam, si jam cum vera Manichæorum sententia superius exposita contenderis: facile intelliges, cælum tanto spatiorum intervallo a terra non sejunctum esse, quanto Supralapsarii a Manichæis dissident. Isti enim ne a Dei voluntate mali originem arcefferent, maluerunt duo principia inimica sibi atque adversa admittere: illi vero ne diversa, inimicaque sibi invicem boni malique principia admittere, ne quid uni optimo maximo principio oppositum existimare tenerentur; malum neque incito, neque invito, sed volente; decernente, dirigente Deo exortum esse arbitrantur. Manichæi, ne sanctitati divinæ quid, ne bonitati, ne justitiæ detrahere videantur: Dei majestatem, æternitatem, simplicitatem, potentiam, beatitudinem adfligunt atque proculcant: Supralapsarii contra ne quid divinæ Majestati, ne beatitudini, ne simplicitati, ne providentiæ & summo in omnia imperio, ne æternitati derogent, censent, Deum non bona tantum in genere, sed etiam in specie ea velle posse bona, quæ consequi non possit, nisi ea etiam velit mala, ex quibus illa bona tan-

*ciunt aut scribunt idem non idem est?* Ceterum, si ille *γνησιως* Lutherani nomen meretur, qui Lutheri verbis *κατα φησιν* subscribit, ego sane in his doctrinæ capitibus mihi *γνησιωτατως* Lutherani titulum arrogare audeo. T. d. H.

tantum existunt. i.e. ea censent, quæ hanc sententiam obiter intuentibus, a suisque præjudiciis abreptis facile videri possint divinæ bonitati, sanctitati, justitiæ opposita. Adeo ut nulla sententia vel esse facile, vel fingi possit. Manichæis magis contraria atque opposita, quam quæ a Supralapsariis defenditur. Tantum igitur abest, ut Supralapsarii recte Manichæismi a suis adversariis arguantur, ut his potius eo nomine reprehendendi videri possint, quod longius, quam ipsi a Manichæis discedant. Cum enim Manichæorum & Supralapsariorum sententias duos oppositos scopulos, inter quos ipsi medii sint, esse non negent: quo majori contentione a Supralapsariis discesserint, eo etiam illos propius a Manichæis abesse necesse erit. Quæ uti certissima sunt; ita Episcopus, Bælius, Wolfius alii negant nos recte accusari Manichæismi; ferre tamen usum, ut illi, qui peccati causam in Deo agnoscunt, Manichæorum nomine appellantur. Doctissimus Bælius in voce Pauliciens, *Il est, inquit, fixe de tems immemorial à cet usage, qu' être Manicheen, & faire Dieu auteur du pechè sont deux expressions, qui signifient la même chose: & lorsqu' une secte Chretienne, accuse les autres de faire Dieu auteur du pechè, elle ne manque jamais de leur imputer à cet egard le Manicheisme.* Antiquissima est, fateor, hæc ipsa calumnia. Quemadmodum enim, uti supra vidimus, Pelagiani Augustinum ob originale

peccatum, negatamque maxime in nondum  
 regenitis ad bonum libertatem Manichæismi  
 accusarunt: ita Hieronymo teste (loco, quam  
 infra producemus) iidem Pelagiani ob eas-  
 dem causas Orthodoxos dixere, Deum face-  
 re auctorem mali. Omnis autem hic error ex  
 eo mihi natus esse videtur, quod Orthodoxi in-  
 victis atque renitentibus Manichæis, malo  
 illorum principio Dei nomen imposuerunt.  
 Quoniam igitur ex Orthodoxorum calumnia  
 Manichæi Deum auctorem mali dicebant, fa-  
 ctum est deinde, ut omnes Manichæismi ac-  
 cusarentur, qui mali originem ex Dei volun-  
 tate suspenderunt. Accedit deinde quod non  
 hæreticis tantum, sed ipsis etiam orthodoxis-  
 simis nihil fuerit familiarius, nihil usitatus,  
 quam quos in levissimis licet, sæpe à se dissen-  
 tire deprehenderunt, quacunque possent  
 facie, gravissimarum hæresium accusare. Ut  
 vero demonstrem, nunquam Manichæos,  
 mali principium Deum dixisse, sed hanc esse  
 orthodoxorum calumniam, qui cum argu-  
 mentis non possent (recte enim eruditissimus  
 Bælius, patres nunquam Manichæorum ob-  
 jectionibus satisfecisse monet) suo scilicet  
 more, calumniis hæreticos, quibuscum age-  
 bant, oppugnarunt: verba mihi tantum  
 Fausti Manichæi exscribenda sunt, quæ nobis  
 exhibet Augustinus contra Faustum Libro  
 XXI. pag. m. 249. *Unus Deus esse, an duo! Pla-  
 ne unus. Quomodo ergo vos duos asseritis? Nun-  
 quam*

quam in nostris quidem assertionibus duorum Deorum  
 auditum est nomen. Sed tu, unde hoc suspicaris,  
 cupio scire. Quia bonorum & malorum duo prin-  
 cipia traditis. Est quidem, quod duo principia confi-  
 temur, sed unum ex his Deum vocamus, alterum  
 bylen, aut ut communiter, & usitate dixerim, dæ-  
 monem (quod si profecto ad ea animum adver-  
 teris, quæ communiter Infralapsarii diabolo,  
 ut mali auctori tribuunt: Bekkeri crimina-  
 tionem non omni ex parte iniquam, injustam-  
 que senties.) Quod si tu hoc putas, duos signifi-  
 care deos - - - & stupoteris, cum quis bonum no-  
 minat, & malum eadem duo putare bona - - - po-  
 teris & venenum audiens, & antidotum, nihil in-  
 teresse putare, an utcumque vocetur antidotum.  
 Quod si hoc facere absurdum est, quanto absurdius,  
 Deum & bylen, idcirco duos putare Deos, quia eo-  
 rum quisque aliquid operetur. Quapropter inepta  
 hæc, & viribus satis effœta argumentatio est, ut  
 quia de re mihi respondere non possis, de solis nomini-  
 bus confles invidiam. Idem monet sicubi forte  
 hunc dæmonem suum Deum vocent, non  
 alio sensu id fieri, quam quo Apostolus eun-  
 dem Deum hujus sæculi appellavit. Sæpe  
 ego profecto miror nonnullorum hominum  
 iniquitatem; ubi enim cum Supralapsariis  
 agunt, negant auctorem mali Deum esse pos-  
 se; sed quoties cum Manichæis pugnant, Ma-  
 nichæis maxime invitis auctorem mali Deus esse  
 debet. Ex quibus patet summam suam &  
 ignorantiam & pravitatem prodere, qui vel

Manichæos Deum facere mali auctorem calu-  
 mniantur, vel Supralapsarios Manichæismi  
 arguunt. Quod vero Episcopus cap. IV. de  
 gratia & libero arbitrio contra Cameronem,  
 nostros propterea Manichæismi argui posse  
 existimat, quod Manichæi patribus testibus in  
 aliis etiam statuerint, tam bona, quam mala  
 necessario fieri, id profecto non majoris est  
 momenti. Licet enim non negem, non tan-  
 tum Polytheismum tributum Manichæis ab  
 orthodoxis olim fuisse, sed etiam *εἰσαγγελν*,  
 ut supra ex Socrate audivimus: præclare ta-  
 men idem novi Manichæis eadem ratione  
 fatum tribui, qua Polytheismum, i. e. falso  
 & summa cum injustitia. Fatum enim recte  
 unius Dei voluntati omnia & bona & mala  
 submittit: Manichæi vero contraria plane ra-  
 tione a diversissimis & a se invicem indepen-  
 dentibus & non ex arbitrio, sed naturæ abso-  
 luta necessitate operibus, hinc bona, illinc  
 mala derivarunt. In genere vero Manichæi  
 nullam aliam necessitatem vel professi sunt,  
 vel etiam salva sua principe hypothesis profi-  
 teri potuerunt, quam qualem etiam frigidis-  
 simi & abjectissimi infralapsarii facile admit-  
 tunt. Necessario enim Deum & animam in  
 nobis bonam bene, principem vero tenebra-  
 rum, malamque in nobis animam male agere  
 cum dicunt: non pejorem necessitatem ad-  
 mittunt, quam illi, qui negant Deum posse  
 male, Diabolum vero, improbosque antere-  
 gene-

generationem, vel saltem post gratiæ terminum, finalemque impœnitentiam bene agere. Ut adeo certum & inconcussum maneat, quod erat demonstrandum, nihil esse aut fingi posse, vel imperitius, vel iniquius, vel absurdius, quam Supralapsarios, qui magis a Manichæis dissentire ne possent quidem, Manichæismi argui.

§. II. Licet vero nunquam ego non existimarem, nihil veritatis, nihil sapientiæ, nihil pietatis studio esse posse indignius, quam dissentientibus invitis cum veteribus hæreticis consensum ob externam tantum quandam similitudinem tribuere: ut tamen norint imprudentissimi Supralapsariorum calumniatores, quam iniqua hæc eorum calumnia sit, quid si ego ostenderem, si qui sint Manichæismi arguendi, non Supralapsarios, sed eos, qui hujus criminis accusant Supralapsarios, potius ejus reos esse. Facillime enim valde conspirans & conflatus inter utrosque consensus ostendi posset. *Primo* enim in eo accurate consentiunt, quod fundamentum & *πρωτον ψευδος* totius Manichæismi non male dixeris, eam esse divinæ bonitatis & sanctitatis rationem, (ff) ut neque Deus velle possit, nisi bona, neque mala existere possint, nisi Deo invito, Deoque adversa. Unde *secundo* utrique diversum esse a Deo principium constituendum, unde malum existat, arbitrantur. *Tertio* suum utrisque principium esse debuit a Deo independens. Quando *quarto*

utri-  
(ff) Atque his, si sano sensu excipiantur, nihil verius est,  
T. d. H.

utrique negant quicquam existere posse Deo magis injucundum, inimicum, infestumq; (gg) si a malo discesseris: utrique etiam velint nolint, perpetuam quandam inter Deum & malum pugnam non possunt non statuere. Denique quinto utrique malo majorem potentiam tribuere debent, quam divina Majestas ferre possit. Qui enim malum existere posset Deo invito, nisi maxima quædam malo virtus tribuatur, Rationis quippe præceptum est, nihil miki invito, accidere posse: nisi cui tantæ vires vel propriæ sint, vel alienæ, quibus superandis impar sim. Sed, inquit Infralapsarii, immane quantum discrimen adhuc esse: Manichæis enim principium hoc malum & æternum esse, & ratione ipsius substantiæ malum. Infralapsarios vero utrumque negare. Verum enim vero, uti hæc Manichæi cum iis conjunctissima esse non temere existimarunt, in quibus hæctenus ostendi, egregie convenire Manichæis cum Infralapsariis: ita infralapsarii tantum ab hac Manichæi principii æternitate non absunt, quantum quidem ipsi sibi videntur. Primo enim jam olim Manichæi, cum ipsis quærentibus, unde malum esset, infralapsarii respondissent ex libertatis abusu, monuerunt, neque ad illum liber.

(gg) Et quis hoc, si recte explicetur, ausit ire inficias? Ita sane scriptura passim loquitur. Et si perpetuam pugnam Deo cum morali malo esse dicas, pariter cum scriptura loqueris; neque ita quidquam divinæ derogas vel felicitati vel perfectioni, cum bonum sit, pugnare cum malo, & gloriosum, superato malo decedere victorem. T. d. H.

libertatis abusum referri posse mali originem, quin ipse Deus mali auctor constituatur, neque hunc libertatis abusum independentem esse a Deo posse, nisi cum libertate ipsa etiam voluntatis natura atque substantia a Deo independens, adeoque æterna sit. Deinde nos eo potissimum nomine materiæ negamus æternitatem, ne quicquam esse posset; quin a Deo dependeret. Facile vero ferremus aliquid Deo coæternū, nisi id divinæ majestati atque independentiæ adversari existimarem. Dum igitur aliquid independens a Deo admittis, tantum divinæ independentiæ derogare videris, quantum qui æternitatis gloriam non Deo propriam perpetuamque arbitrantur. Tertio denique ex æterna & infallibili mali in Deo præscientia, quam Infralapsarii tantum non omnes admittunt, consequitur, eos non adeo ab omni æternitate mali sui principii abhorrere. Aut enim Deus malum futurum ex se novit, aut ex rebus ipsis futuris. Si ex se, aut ex natura sua novit, aut ex voluntate. Si ex natura arbitrentur, imprudens naturalem nexum inter malum atque Deum admitterent, adeoque plus mali Deo vindicare dicas, quam nemo Supralapsariorum. Sin ex sua voluntate malum futurum præcivisse Deum dicant, mutata mente nobiscum sentiunt. Quod si vero ex rebus a Deo diversis omnem hanc Dei cognitionem derivant: illas res vel a Deo statuent dependere, vel independen-

dentem esse. Si prius, nobiscum iterum faciunt: Sin posterius, non independens tantum, sed cum hæc Dei præscientia æterna sit, neque malum futurum vel a natura vel a voluntate Dei dependent, etiam æternum quoddam mali principium si sibi constare velint, non possunt non admittere. Cum enim ejusmodi independens a Deo principium, non possit a nihilo proficisci, æternum non potest non esse. Hoc igitur mali principium aut statuendum est, cum Supralapsariis etiam quæ mali principium est, a Dei voluntate dependere, aut illi cum Manichæis cum independentia etiam quædam æternitas vindicanda. Ex quibus consequi videtur, eos, qui toties Supralapsarios Manichæismi arguunt, & in erroris fundamento, & in iis omnibus eadem sentire, quæ Manichæorum hypothesis divina independentia, æternitate, beatitudine, potentia indigna fovet: aut, si quid dissentire videantur, hunc dissensum non esse nisi de consequentiis sententiisque secundariis, quas Manichæi quidem majori ingenii perspicacitate, vel saltem majori integritate usi, cognatas suæ sententiæ vident, isti vero ignorantes suæ ipsorum sententiæ & rationem, & periculum, vel non sentiunt, vel non sentire videri volunt.

§. 12. Ut igitur hætenus ostendi, primo Manichæismi proprie dicti, cujus propria atque perpetua nota est independens a Deo mali

li origo sive diversum boni malique princi-  
 pium, eo minus Supralapsarios accusari posse,  
 quo magis *dis dia παρων* a Manichæis dissen-  
 tiunt: Infralapsarios autem quoscunque sive  
 Pelagiani sint & Semi-Pelagiani, sive Luthe-  
 rani sive alii proprie ejusmodi dicti, Mani-  
 chæismi eo verius argui posse videri, quo in-  
 dependentius a Deo peccari statuunt. Dein-  
 de Manichæismi falso ita dicti, quem iis teme-  
 re adscribere solent, qui malum non invito  
 sed volente atque definiente Deo existere  
 volunt, Infralapsarios magis reos agi posse  
 quam Supralapsarios. Nunc facillimum mi-  
 hi foret ostendere liquido, in doctrina Infralapsariorum de certa Dei malorum præscientia,  
 æque & permissione, non minores hos pre-  
 mēre difficultates, quam premunt Supralapsarios, longeque duriores, ex illorum sen-  
 tentiis, quam ex horum sequelas elici posse.  
 Sed ne limites, qui in hac Bibliotheca dis-  
 sertationibus positi sunt, transgrediar, hæc  
 nunc in aliud tempus rejicienda sunt. Inter-  
 ea, cum etiam hunc obicem, per quem ste-  
 tisse mihi maxime videtur, quo minus hæc-  
 nus certa inter Protestantes pax inita fuerit,  
 felicissime à me remotum arbitrer, aliquan-  
 do nos facilioribus fidei nostræ fratribus usu-  
 ros esse spero. Quod eo facilius spero futu-  
 rum, quod maxime hic agatur de pace inter  
 Lutheranos & Reformatos, quorum commu-  
 nis, & publica doctrina tota Infralapsaria est,

concilianda: de mali vero origine, salutisque  
 consequendæ in electis ratione accurate Re-  
 formati cum Lutheranis sentiant; neque ob  
 suum de reprobatione dissensum vel Mani-  
 chæismi argui, vel Deum mali auctorem fa-  
 cere dici possint, nisi Lutherani suo ipsorum  
 iudicio eorundem errorum arguendi videan-  
 tur iis, qui *πενιγενεσίαν* omniumque malo-  
 rum in gratiam cum Deo reditum statuunt,  
 quod Lutherani post gratiæ terminum æque  
 atque Reformati negent reprobis divinam  
 gratiam amplius patere. Ut adeo videre ha-  
 ctenus mihi non licuerit, qua specie ex Re-  
 formatorum sententia, quæ omnem mali cau-  
 sam atque culpam etiam in reprobis nihil mi-  
 nus quam Deo, sed soli peccantium arbitrio  
 tribuit, legitime consequi vel videri possit,  
 Deum esse auctorem mali. Itaque multo ad-  
 huc propius Reformati a Lutheranis absunt,  
 quam forte utrisque videntur: neque adeo  
 illo præsidio de consequentia hac urgenda  
 quidem sed non imputanda pro pace ineunda  
 Reformati indigent. Hac enim non tam  
 ad Reformatos, quam ad Supralapsarios  
 spectare videntur. Ex Supralapsariis vero  
 tam Reformati æstimandi non sunt, licet qui-  
 dam Supralapsarii in Reformatis sint: quam  
 Lutherani (quamvis contradictoria mihi vi-  
 deantur, *γνησιως* in his Lutheranum, neque  
 tamen Supralapsarium esse) non sunt in Su-  
 pralapsariis censendi, utut Lutherum totum  
 quan-

quantum Supralapsarium fuisse supra ostenderimus. Supralapsarii salva sua hypothese in reliquis cum Pontificiis, Lutheranis, Reformatis sentire possunt. Ut adeo omnino a Reformatis eadem ratione distinguendi sint, qua a Lutheranis distinguuntur. Cum vero ipsi etiam Supralapsarii Lutheranos in fidei salutaris sociis recte censeant, horum etiam, quæso pace liceat Supralapsariis cum Theandro Luthero sentire, quo uno nemo aut fortius, aut constantius a Supralapsariorum sententia stetit. Maxime cum omnis fere controversiæ ratio inter Supralapsarios & Infralapsarios Protestantes, uti inter Protestantes Infralapsarios Lutheranos Reformatosque magis mihi ex Metaphysica & philosophia quam ex Theologia discutienda videatur. Uti enim inter omnes hos conspirans & conflatus admodum consensus est de fundamento salutis, i. e. de Deo solo omnis boni & salutis clementissimo in Christo per Spiritum S. auctore; ita omnis dissensus cardo in ea una quæstione versari mihi videtur. Utrum voluntas nostra quoties aut male egit aut bene indifferens fuerit, i. e. iisdem circumstantiis omnibus positis, potuerit aliter agere? Supralapsarii negant ita agere voluntatem, ut aliter possit. Adeoque etiam primum peccatum sano sensu fuisse necessarium. Infralapsarii autem omnes ita peccasse primos parentes volunt, ut iisdem licet positis circumstantiis  
 omni-

omnibus potuissent non peccare. Reformati  
 omnem Infralapsarii cum Augustino existi-  
 mant hominem neque cum regeneratur, ne-  
 que cum respuit regenerationem indifferen-  
 tem esse. Sed tanta esse ibi gratiæ, hic cor-  
 ruptionis nativæ vim, ut nisi mutatis his cir-  
 cumstantiis non possit nisi aut regenerari, aut  
 non regenerari. *Quem enim Deus convertere  
 decrevit* (verba hic recito Formulæ Concordiæ  
 pag. 673. quæ hic plane nobiscum sentit,) *eum  
 sic trahit, ut ex intellectu cæcato, illuminatus fiat in-  
 tellectus, & ex rebelli voluntate fiat prompta & obe-  
 diens voluntas.* Qui autem non regeneratur hac in  
 parte (iterum cum Formula Concordiæ lo-  
 quor) multo est deterior lapide, aut trunco, quia  
 repugnat verbo & voluntati Dei, donec Deus eum  
 a morte peccati resuscitet, illuminet atque renovet.  
 Lutherani vero existimant, neque gratiam,  
 neque corruptionem tantam esse, quin &  
 qui regeneratur, iisdem licet circumstantiis  
 omnibus positis potuisset non regenerari, &  
 qui non regeneratur, potuisset regenerari.  
 De consequentiis autem difficillimis, & gra-  
 vissimis, quæ omnium Protestantium senten-  
 tiis adnatae sunt, tenendum, solam hanc diffe-  
 rentiam videri, quod alii aliis serius ocyus ad  
 eadem præcipitia delapsi, tandem omnes ad  
 Paulinum *βαδ* confugiant. Quod do-  
 ctissimus Pfaffius, Acad. Tubing. Cancellarius  
 atque insigne decus, qui quantum imperitis  
 aspe-

asperisque pacis inter Protestantes ineundæ  
 oſoribus & eruditione, & pietate, tantum  
 etiam pacis atque concordix studio præſtat,  
 in doctiſſ. ſpecim. hiſt. dogm. de gratia pag.  
 122. rectiſſime obſervavit. Quæ cum ita ſint,  
 quis quæſo furor eſt, cum in iis potiſſimum  
 diſſentiamus, quæ quiſque eo magis ἀνεξιχνία-  
 ſτα καὶ ἀνεξερευνήτα eſſe intelligit, quo illorum  
 rationes altius repetierit, ita tua velle tueri,  
 ut omnem ex animo charitatem, omne pacis  
 ſtudium tantopere nobis a noſtræ ſalutis au-  
 ctore commendatum ejicias. Si quid cui par-  
 ti ex hac pace timendum eſſe videtur: no-  
 ſtrum hoc omne erit periculum. Cum enim  
 Lutheranorum ſententia primo intuitu eo  
 longius præferenda noſtræ videatur, quo  
 gravioribus difficultatibus premi intelligitur  
 accuratius perſpecta; pauciſſimis vero altius  
 hæc ſcrutari liceat: merito timendum non  
 illis, ſed nobis videtur, ne ſi pax firmis condi-  
 tionibus inita, ſancitaque fuerit, noſtri tan-  
 tum non omnes ad illorum ſententiam tradu-  
 cantur. Quo ipſo pretio, cum in his nullum  
 ſalutis periculum verſetur, uti quiſque ex  
 nobis optimus eſt, ita eum etiam ego maxi-  
 me hanc publicam concordiam, pacemque  
 redempturum puto. Utinam a me ipſe impetra-  
 re poſſem, ut mea mihi non viderentur ve-  
 riora, vel diſſimulare, quæ de his ſentias, non  
 a ſapientix & pietatis ſtudio abhorreret,  
 ne.

nemo me facilius, lubentiusque cum Lutheranis vel sentiret, vel loqueretur. Supralapsariorum itaque sententiam, Infralapsariis ubique licet usus præceptoribus; propterea quodammodo hic defendi, quia mihi, ita me Deus amet, reliquis facilius, Deo dignior, verior, visa est. Audeant igitur, qui tantum suæ sententiæ tribuunt ex Infralapsariis, aliquid contra ea, quæ hic dixi, & si nostris me veriora, faciliusve edocuerint, maximam a me inibunt gratiam. Diu enim jam est pro vitæ meæ annis, ex quo in veri cognitione neque ullam mihi humanam auctoritatem, neque meæ etiam (g) religionis præcepta, sed unius scripturæ atque rationis momenta & quærenda & sequenda haud temere constitui.

(g) Quod si itaque locutiones hæc occurrant, quæ asperiores videntur, qui eas toti Reformatorum coetui adscribet, nec ille iniquissimi Calumniatoris notam haud facile effugerit,  
T. d. H.

VITA SCRIPTAQUE

HERMANNI DEVSIN-  
GII, Jcti & Theol. Groningani,

perscripta ab illo paucis ante mortem  
diebus ad T. d. H.

**H**ermannus DEUSINGIUS, A. S. 1654.  
pridie idus Martii Groningæ natus,  
patrem habuit Virum Clarissimum,  
*Antonium Deusingium*, (a) Medicæ  
Facultatis Professore in Academia  
Gro-

(a) Fuit hic Meursæ, quæ urbs comitatui ad Rhenum  
nomen dedit, anno præteriti seculi XII. natus. In  
Academia Lugdunensi summos in arte medica ho-  
nores nactus, fecit medicinam in patria, cui accessit  
professio Matheseos ab a. 1630. Hinc Harderovi-  
cum sequenti anno abiit, ibi Professoris physices &  
Matheseos, & ordinarii Urbis Medici, & ab a.  
1642. professoris medicinae in illa Academia primi,  
muneribus functus. A. 1647. Groningam rediit  
& præter Philosophiæ professionem reliqua munia  
obiit, quæ hic recensentur. Fuit linguarum Orien-  
talium, inque iis Turcicæ, Arabicæ, & Persicæ cal-  
lentissimus, cujus rei non leve specimen dedit trans-  
latione ex Arabica lingua Cantici Principis Abi-Alis,  
vulgo Avicennæ de medicina, & Aphorismorum  
medicorum Johannis Mesnaei, Damasceni, edita,  
Groningæ 1649, 12, Institutionibus Th. Erpenii  
Ara-

ning - Omlandica primum Archiatrum, Medicum Aulicum, Principi Nassoviae Guilhelmo Frederico, Frisiae Groningae Omlandiae ac Drentiae Gubernatori, percarum, Ecclesiae Groninganae Seniore, ex perientia morumque suavitate in proceres & in vulgus gratissimum, Philosophum ac Mathematicum insignem, & ex scriptis suis multiplicibus Philosophorum ac Medicorum filiis percelebratum: matrem *Magdalenam Modestam Scheidmans*, Amplissimi Viri *Hermanni Scheidmanni*, Jcti Eximii, ac, dum viveret, in suprema Imperii Romani Camera judiciali (quae tunc Spirae erat) Adessoris (a quo noster *Hermanni* praenomen indeptus est) filiam unicam, Matronam admiranda animi magnitudine, insigni modestia, & pietate exemplari praeditam, suorumque adeo praenominum (quae Comitissa Bentheimensis Mater ejus iustitica, ei imposuerat) significatum ad amissim expletem.

Vix

Arabicae linguae cum annotationibus, Pentateucho Persico ex interpretatione Jacobi Tavnusi editis, Lexicis Medico Arabico-Latino, Persico Latino, & Turcico Latino. quae tamen molitus tantum est, non absolvit. Acres ei lites intercessere cum Jo. Andr. Schmitzio, Christiano Scotano, & imprimis Francisco de le Boë, Sylvio. Scriptorum ejus bene multorum catalogum exhibent Wittenius in diario biographico ad a. 1666. & Georg. Abrah. Mercklinus in Lindenio renovato p. 63. sqq. Autor Vitt. Profess. Groning. p. 213. Bentheimius in statu eccl. & schol. Belgic. p. 269. T. d. H.

Vix undecennis orbatus est patre, qui Ao. 1666. (b) cum media teterrimaque hyeme à Principe Frisiæ Orientalis, gravi morbo laborante, Auriacum arcessitus, eum juvasset, atque inde ad prædictum Nassoviæ Principem, lethaliter sauciatum, Leovardiam evocatus, eum aliquamdiu accurasset, mortuumque condivisset, phthisi & asperitate frigoris contracta, diem suum obiit, posteaquam binos filios, Johannem & Hermannum, cum filiola A. E. ad lectum suum emortualem advocatos, serio admonuisset ut Deum revererentur, matrem honorarent, seipsos invicem adamarent, & à malo sibi consortio caverent, (quæ moribundi patris parænesis intimis eorum medullis infedit semperque inhæsit) insimul educationem eorum gratiæ Dei & curæ matris commendans. Hæc, marito suo quindecim annos superstes, nihil prius duxit & antiquius, quam ut liberis suis reverentiam Numinis, (quam eis una cum lacte instillaverat) continuo inculcaret, hoc unice in votis habens, (uti sæpe testabatur) non ut liberi sui detescerent aut spectabiles in hoc mundo evaderent, sed ut divites essent in Deo, salutisque æternæ fierent consortes. Hermannus in infantia Deum T. O. M. fidum vitæ suæ custodem expertus est, ex aquis, in quas sciente nemine inciderat, à patre, forte fortuna accurrente, non sine miraculo, extractus.

Class. V. Fasc. V.

000

In

(b) pridie Kal. Februaris.

In pueritia privatim, juxta cum fratre, pædagogum nactus est Christophorum *Witichium*, tunc Groningæ studiis operam dantem, matrique à Maresio commendatum, & deinde Professore in Academia Lugduno-Batava Celeberrimum: in Scholæ trivialis suprema classe Rectorem invenit Rev. Joachimum Borgefium, octuagenario majorem, qui ei, oratiunculam coram se recitanti, dextra capiti imposita, animo quasi præfago benedixit: atque, illo rude donato, Cl. Upmejerum, à quo, habita in frequenti auditorio oratione, ad Academica subsellia productus est cum elogio insigni, anno ætatis suæ quinto decimo, salutis 1670.

In adolescentia usus est gavisusque præsertim ductu & institutione in lingua Græca, in literis humanioribus, in historiis, & in Philosophia, Viri Cel. Tobixæ Andree, Historiarum & Græcæ L. Professoris: posteaquam A. 1672. cum Groninga ab Electore Colonienfi & Episcopo Monasterienfi obsideretur, una cum reliquis Palladis, ac tunc Martis, alumnis, ob defensam fortiter urbem, argenteo numismate, in perpetuam rei memoriam casso, honestatus esset. Et, cum jam facienda esset Facultatis electio, sive Theologicæ sive Juridicæ (nam Medicinæ studium pater ipse, jam morti proximus, sentiensque se, dum aliis inserviret, semetipsum, facis instar, absumpsisse, filiis dissuaserat) Viri Celeberrimi

Maresius & Altingius, à patre, singulari utriusque Amico, dum in vivis esset, conso- ciati, at, eo fatis functo, in apertam distra- cti inimicitiam, in hoc tamen consentiebant quod uterque matri pro se polliceretur, si qui- dem filius ejus natu minor Theologiæ studio se dederet, se ei vice patris futurum. Sed, quanquam ipse inde à teneris unguiculis se Theologiæ destinasset, nihilominus, cum si- bi nunc non liceret vel uni eorum adhærere, nisi alterius odium in se provocare, vel utri- que, nisi neutrius favorem sibi conciliare vel- let, intercedente Amicorum suasu, se Juris- prudentiæ (cui frater jam operam navabat) addixit, præceptore utens Clariss. Gerharo Feltmanno, seque cum fratre mutuis assiduis- que exercitationibus acuens, quoad Ao. 1677. juxta cum illo, solemniter, in frequentissi- ma omnium Ordinum concione, præsentè Gubernatore Henrico Casimiro, cunctisque faventibus & applaudentibus, lauream Do- ctoralem retulit, brabeuta Wesselo Bertlin- gio, cum attigisset annum 22.

In ætate virili A. C. 1681. cum jam frater piam vitam beato fine clauserat, cumque Ce- leb. Feltmannus, utriusque Mystagogus, Auriacum vocatus, Professionem Juris cum Assessoria dignitate commutaverat, oblato Senatui libello, petiit ut nunc, vacante eo munere, munia Professoris in interpretando jure civili gratis obire publice privatimque si-

biliceret. Quod cum Curatores Academiae  
 ad arbitrium Professorum Facultatis reliquo-  
 rum retulissent, hi, ne quid forte honori suo  
 suæve rei decederet, collegiorum habendo-  
 rum licentiam ad solos Pandect. Titulos de  
 verborum significatione & de Regulis juris  
 adstrinxerunt, hoc est, ei civiliter denega-  
 runt, permissis ei duntaxat publicis præle-  
 ctionibus. Quibus ipse, jam annum agens  
 27. per integrum biennium impigre vacavit,  
 eas identidem inchoans oratione prævia, in-  
 vitatis ad auditionem cunctis Ordinibus, non  
 sine favore & acclamatione universali. Qua-  
 re exciti Ordines Groningæ spontaneo motu  
 eum, nihil tale cogitantem, nedum rogan-  
 tem, communibus suffragiis designarunt at-  
 que elegerunt Professore Juris & Græcæ lin-  
 guæ, delegatis Consule, Senatore & Secre-  
 tario, qui hanc electionem insinuarent, &  
 quoniam ea sine consensione Ordinum Om-  
 landiæ foret irrita, ei commendarent ut ho-  
 rum quoque gratiam omni conatu occuparet.  
 Quos etiam non alienos à se deprehendit, nisi  
 quod unus aut alter ei auctores essent ut tin-  
 nienti sollicitatione rem suam ageret. Qui-  
 bus cum non obsecundaret, partim honoris  
 ergo, partim quod eodem tempore Hardero-  
 vici & Franequeræ ratio ejus haberetur, bo-  
 nis hisce ominibus & initiis non responde-  
 runt eventus & finis. Quapropter ipse, hac  
 spe dejectus, scriptione aliqua, Jurispruden-  
 tiam

tiam concernente, nomen famamque aucu-  
 pari constituens, prælectionibus superfedit.

Interim vero lubido eum incessit, alias  
 quoque terrarum oras & urbes visendi, seque  
 exterorum usu hominum expoliendi. Itaque,  
 profectionem in Hollandiam ingressus, eam  
 percurrit ac perlustravit, hinc Angliam cogi-  
 tans. Sed, cum assiduæ tempestates iter il-  
 lud impedirent, immutato proposito, Cli-  
 viam se contulit, & frequentata illic ali-  
 quandiu aula Magni Herois Frederici Guillhel-  
 mi, Electoris Brandenburgici, inde Novio-  
 magum contendit, spectaturus instructissi-  
 mum 25000. virorum exercitum, quem  
 Princeps Arausionensis illic in campis Moque-  
 ranis lustraturus, & decursibus ac belli simula-  
 cris exercitaturus erat, invitato illuc dicto  
 Electore. Quo cum delectatione conspecto  
 fines Germaniæ peragratus est, ac, post se-  
 mestrem absentiam, in patriam redux, ani-  
 mum ad *Philosophiam Juris* (quam meditaba-  
 tur) perscribendam appulit. Verum, cum  
 spes obtinendæ professionis Groningæ vasta  
 illa inundatione (quæ Provinciam A. 1686.  
 tam graviter afflixit) absorpta videretur, ar-  
 dor ejus in scribendo, excolendoque studio  
 Juris refrixit. Ast flagrantia ejus in promo-  
 vendo Theologiæ studio (quod semper cum  
 studio Juris conjunxerat) eo magis accensa  
 est, sufflante eam studiosa lectione librorum  
 Magni Cocceji, cujus solida eruditio, cum

infucata pietate, ubique in scriptis ejus pella-  
 cente, sociata, animum ejus mirum in mo-  
 dum afficiebat. Præsertim cum illi Aquilæ,  
 in sublime nitenti, ipse ad instar Reguli, insi-  
 dens, subinde magis in altum evolaret, Deo  
 oculos ejus hæcenus aperiente ut τὰ βιβλῆ τῆ  
 Θεῶν in S. Scripturis latentia, multisque, cor-  
 tici-literæ duntaxat inhærentibus, non satis  
 observata, ex ipsis rerum documentis anim-  
 adverteret. Quo sibi hoc negotii datum ar-  
 bitrabatur ut ea, quæ ipse non perplexe vide-  
 rat, aliis etiam indicaret ac demonstraret,  
 quo ea secum, antegrediente ac prælucente  
 Spiritu S. scrutarentur. Quæ ratio est quod  
*Philosophia Juris* (quam jam aliquatenus pro-  
 vexerat) mira μεταμορφώσεται converteretur  
 in *Demonstrationem Allegoriæ Historiæ Veteris &  
 Novi Testamenti*, quæ Viris quibusdam Doctis, a  
 quibus ante editionem lecta est, hæud displicuit.  
 Verum importunitas Typographi,  
 efflagitantis, ut Tractatum illum aliquo Εμπει-  
 ρῶ augeret, in causa fuit, ut, cum nihil in  
 promptu haberet, tres *Dissertationes de Myste-  
 rio S. S. Triados* (quam ut Allegoriæ Historiarum  
 S. trigeminæ fontem considerabat) ope-  
 ra subitaria adornaret, quibus cogitata sua de  
*Revelatione* istius Mysterii cum in rerum Natu-  
 ra tum in S. Scriptura facta (quæ hauserat ex  
 scriptis Illustriss. Mornæi, Celeb. J. Altingii,  
 aliorumque, ne nunc antiquiora Wesfeli  
 Gansefortii Groningani, Lucis Mundi, ut  
 vul-

vulgo dicebatur, atque ipsi prorsus *εμοψήφει*,  
 scripta memorem) patefaciebat: festinatio-  
 ne Ejustem, editionem admodum urgentis,  
 impediēte quo minus ea ad coticulam intel-  
 ligentioris iudicii examinare quiret. Qua-  
 propter Ao. 1690. Librum illum cum hac Ap-  
 pendice *ἀναστυμωσ* evulgandum duxit, ut alio-  
 rum de cogitatis hisce iudicia ex abdito cer-  
 tius tutiusque exciperet, hac spe se lactans fo-  
 re ut Lectores ex lege charitatis ipsum vel  
 rationibus de errore convincerent, vel de  
 veritate suis certiozem facerent suffragiis.  
 Sed immane quantum hæc spes eum fefellit!  
 Cum Liber ille Groningæ esset excusus, Au-  
 ctor non diu latere potuit. Ubi autem in-  
 notuisset, nemo eum erroris redarguere  
 (quod tantopere exoptaverat) dignatus est,  
 nedum tentavit ex errore in viam reducere:  
 Sed omnes confestim, quasi ex compacto,  
 odium in eum acerbum & inexpiabile suscepe-  
 runt. Unde fœdissima in eum coorta est  
 tempestas, non secus ac si omnia pariter ele-  
 menta in eum conspirarent: quæ non ante  
 desævire desiit quam ei sacris esset interdictum,  
 usque dum, quod in publicum emiserat, pu-  
 blice reclamasset, nec Groningæ tantum, sed  
 etiam, Groningensium rogatu, in Drentia,  
 (ubi ille tunc, velut in Pathmo, commoraba-  
 tur) quanquam sine ulla aut erroris com-  
 monstratione aut demonstratione veritatis.  
 Cujusmodi tantæ tempestatis concitationi pa-

rum sane conveniebat cum *sapientia illa superne descendente, quæ primum est pura, deinde pacifica, æqua, obsequiosa, plena misericordiæ & fructuum bonorum, non judicans, non simulata.* Sed quid attinet veterem refricare cicatricem! Ipse, hac affectus contumelia, sed a causis secundis ad causam primam suetus assurgere, ut probe sentiebat istud sibi non casu obverisse, sed Deo sancte justeque permittente, quin favorem hominum in odium convertente, ita certo confidebat eundem illud sapienter benigniterque eo directurum ut sibi esset adjumento in bonum, ut *qui est justus in viis suis, & gratiosus erga facturas suas.* Cumque *nil conscire sibi nullaque pallefcere culpa pro muro abeneo haberet,* dolorem inde haustum abstergere & quantum pote, sepelire satagens, iter in Brabantiam instituit. Ubi per viam a Viris Doctis & de Ecclesia præclare meritis non modicum levamentum accepit, alio offendiculum, ei imputatum, annihilante, ipsique dicenti, se, si scivisset scriptum istud tantæ fore offensionis, illud nunquam fuisse publicaturum, reponente; Illud etiam a se lectum esse, sed sine ulla offensa, ut qui sciret non unam eandemque esse Eruditorum ea de re sententiam; alio ipsum exemplo Christi & Apostolorum, qui tantam sustinere persecutionem, solante, exhortanteque ut ne defetisceret, sed operi ad utilitatem Ecclesiæ inchoato strenue graviterque insisteret. Itaque,

que, domum reversus, nihilo segnius inda-  
 gandis S. Scripturæ mysteriis laborem suum  
 impendit, usque adeo ut ex intentiore medi-  
 tatione, intercluso spirituum animalium mea-  
 tu, perpetuam cephalalgiam conciperet, quæ  
 eum coëgit Aquisgranum proficisci, ut ob-  
 structionem, nullis remediis cedentem, aqua-  
 rum metallicarum haustu depelleret. Quod  
 ubi ex voto successisset, secessum Drentiæ re-  
 petivit. Ubi Illustriss. Coëvardiæ & Drentiæ  
 Satrapa, Baro de Pallant, Deusingio, quem  
 pluries Assenum invitaverat, illic humanissi-  
 me excepto, odium istud, vulgo dictum  
 Theologicum, miratus & detestatus, ipsum  
 iterum ad sacram συνάξιιν invitari ac recipi jus-  
 sit præsentem Synodo, ibi tum temporis con-  
 gregata, ac ne vocula quidem obnitente,  
 quin ipsum afficiente omni, quo poterat,  
 honore. Ex quo, Groningam rediens, à  
 Ministris Ecclesiæ Gallicanæ fraternè rece-  
 ptus est, Belgicis antiquum obtinentibus.  
 Qui jam omnes ad plures &, ut sperandum,  
 meliores, abierunt, ipso solo superstite, &  
 injuriarum memoria oblivione deleta, cineri-  
 bus eorum parcente.

Nunc denique in ætate vergente (ut, cœ-  
 teris silentio prætermisissis, tandem finem fa-  
 ciam) vitam hanc in coelibatu transigens, &  
 de mundo securus, otia, quæ ipsi fecit Deus,  
 lectione, meditatione, scriptioneque perpe-  
 tua fallit, se oblectans in Deo suo, exspe-

Etansque misericordiam Domini sui Jesu Christi in vitam æternam. (c)

SCRIPTORVM, cum editorum tum  
ineditorum ELENCHVS.

Edita, in 4to.

I.

**D**emonstratio Allegoriæ Historicæ Veteris & Novi Testamenti juncta Revelatione Mysterii S. S. Triados. Quæ ἀνωρύτως in lucem prodiit Groningæ, 1690.

2. Herm.

(c) Haec ad me scripsit, misitque Vir optimus d. V. Kal. Jan. hujus anni 1722. Aliquot elapsis diebus veniunt ad me literae, nuntiantes DEVSINGIVM post octo circiter dierum morbum, qui pectus invaserat, die III. hujus mensis Januarii, aetatis anno LXVIII. vitam hanc miseram cum feliciori, commutasse. Vix itaque hunc vitae suae curriculum conscripsit, quin ab eo tempore fatali lecto affixus, mori paulatim coeperit. Adjiciam literas, quibus hanc vitae suae descriptionem comitatus est, omnium forte, quas scripsit, postremas, non tamen ingratas tibi, B. L. futuras, quod, quae vera ejus de Allegoriarum Biblicarum studio sententia fuerit, morientis quasi manu expressum ibi deprehendis. Et, si cui forte videbitur in illo studiorum genere modum transiisse, id tamen fatebuntur omnes tantam in eo fuisse ἐν τῷ πρῶτῳ δυνάμει, quanta in sui ordinis Viris nunquam, in Theologis inventa est rarissime. Et, si omnes ejus cogitationes utroque probare pollice non potes, occasionem tamen iis tibi praebere de multis accuratius elegantiusque meditando, id quoque neque negari potest, neque dissimulandum est. T. d. H.

2. Herm. Deusingii Verdediginge syner Regt-  
zinnigheid. t'Amsterdam 1692.
3. Commentarius Mysticus in Decalogum, &  
Explicatio Mystica tum Historiæ de Mulie-  
re Hæmorroïssa & Filia Jairi, tum Parabo-  
læ de Epulone divite & Lazaro mendico,  
Leovardiæ, A. 1700.
4. Demonstratio Allegoriæ Historicæ... Hun-  
garorum flagitatu iterum edita, addito no-  
mine, auctaque Testimoniis Theologo-  
rum præcellentium, quorum de SS. Triade  
judicium consentit cum sententia Auctoris.  
Item H. D. Verdediginge syner Rechtzin-  
nigheid beneftens eene Korte Verant-  
woordinge, bevorens gedrukt A. 1690.  
Franequeræ 1701.
5. Allegoria Historiarum Evangelicarum  
Prophetica, comprehendens 1. Rerum ge-  
starum & 2. Miraculorum evoluta ex litera  
mysteria Pars I. Embdæ, 1710.
6. Moses Evangelizans, seu Explicatio Alle-  
gorico-Prophetica Historiarum Mosaica-  
rum complurium atque insignium. Traje-  
cti ad Rhenum 1719. Vide librum hunc re-  
censitum Cl. II, fasc. IV. p. 752.

In hac Bibliotheca invenies ejus cogita-  
tiones in Pf. XIX. T. II. p. 773. Pf. LXVIII:  
T. I. fasc. II. p. 1. Pf. XC. & XCI. fasc. III. p.  
769. & 849. Ut & Diss. in locum Joh. V:  
28. T. I. p. 804. & de numero Apo-  
calyptico. 666. T. I. p. 555.

1. *Mysterium* Ἑξαήμερον Creationis.
2. *Allegoria Historiæ* Πρωτοπλάτων καὶ Πρωτογόνων seu *Adami & Adamitarum*.
3. *Allegoria Κατακλύσμου καὶ Παλιγγενεσίας κόσμου*, seu *Noachi & Noachidarum*.
4. *Mysteria Legum aliquot Mosaicarum*. Accedit *Investigatio veri ac genuini sensus verborum per celeberrimam Deut. 6: 4. ejusque ex locis parallelis Gen. 3: 22. Zach. 14: 9. Mal. 2: 10-15. Rom. 3: 29. 30. 1. Cor. 8: 4-6. 1. Tim. 2: 4. 5. nec non ex Gal. 3: 19. 20. Matth. 19: 17. Marc. 12: 28-34. & Jacob. 2: 19. breviter explicitis, illustratio.*
5. *Observationes Theologicæ, complexæ tum explicationes Novas locorum quorundam insignium Veteris Testamenti (quibus inserta est Explicatio Prophetica Capituli 49: v. 1-27. Geneseos, & Cantici Hanne) tum Explicationes Allegoricas Historiarum complurium ex libris Judicum, Samuelis, Regum & Chronicorum.*
6. *Observationes Theologicæ, complexæ tum Explicationes Novas locorum aliquot insignium ex Evangeliiis & Apostolorum Actis, tum Explicationes Mysticas & Allegoricas sectionum aliquot & historiarum ex eisdem Libris.*
7. *Observationes Theologicæ, complexæ tum Explicationes Novas locorum aliquot insignium ex Epistolis Pauli, tum Explicationes*

nes Propheticas capitum aliquot ex eisdem Epistolis.

8. Observationes Theologicae, complexae Explicationes Novas locorum quorundam insignium ex Epistolis Jacobi, Petri, Johannis, Judae & Apocalypsi.
9. Mysteria Librorum Ruth, Esther & Jonae revelata.
10. Psalmorum aliquot illustrium Exegetis Prophetica. Item specimen Novae ac genuinae Psalmorum Exegeteos, in quo Psalmorum Decas (horum videlicet II. XVI. XXIV. XXVII. XXXIV. XXXVII. XLV. LI. LXVIII. LXXII.) propheticæ nexaque serie exponitur.
11. Tentamen Explicationis Mystico-Propheticae totius Ecclesiasticis.
12. Allegoria Historiarum Evangelicarum Prophetica Pars II.
13. Commentarius Mystico-Propheticus in omnes Christi Parabolas, nec non in Parabolam Jothami, cum Allegoria Gideonis & Abimelechi, II. Vol.
14. Commentarius Mystico-Propheticus in omnia Christi Miracula.
15. Tetras Dissertationum Mysticarum, de Baptismo, de S. Coena, de Disciplina Ecclesiastica, & de Oratione Dominica,
16. Ἀσυνωνυμία Novi Testamenti, qua demonstratur nullas dari in Novo Testamento Synonymias, vera verborum, nominum, ad-  
ver-

verbiorum, omnium, quin & integrarum  
dictionum, quæ primo obtutu *ισοδυναμία*  
videntur, investigata differentia.

17. Quæstionum aliquot Theologicarum ra-  
riorum Solutio.

18. Responsa ad Quæstiones Amici Epistola-  
res.

19. Prima Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis,  
allegorice explicita.

20. Allegoria Passionis Jesu.

21. Tomi aliquot Miscellaneorum.

22. Anatomia Capitis Humani Mystica.

*Literæ, quibus hanc vitæ suæ, scriptorumque  
delineationem pauculis ante beatam ἀνάλυσιν diebus  
comitari voluit, hæc sunt.*

**E**Cce Tibi, Vir InclYTE, una cum Scripto-  
rum meorum Catalogo vitæ meæ curri-  
culum, sed paulo prolixius quam aut Tu forte  
requires, aut ego destinaveram. In quo, quod  
memoriam patris matrisque aliquo ornem ho-  
nore, & de me ipso forte lautius, quam par  
est, loquar, pietati, spero, dabis & necessi-  
tati, quæ sicut effecerunt, ut pia piissimo-  
rum parentum recordatione quasi gloriarer,  
ita me coegerunt ut præjudicatas quorun-  
dam de me opiniones hoc umbone amolirer.  
Exemplum *Mosis mei Evangelizantis*, quam pri-  
mum ad te expediam. Quamquam præsentisco  
illum palato tuo parum satisfacturum; tum  
quia meras continet allegorias, tum quia  
(quod

(quod ingenue fateor) illæ omnes non æque firmo stant talo; cum in tanta circumstantiarum varietate nonnunquam conjecturis & hariolationibus utendum mihi fuerit. Quod non refugi, conscius, quantam mihi sæpius aliorum conjecturæ, etiam minus probabiles, ansam dederint & occasionem rectius aliquid excogitandi, nec ignorans, quanto aliis ad veram Spiritus S. mentem investigandam subsidio sit opera Marlorati, Poli, aliorum qui diversas Interpretum S. Scripturæ collegerunt sententias; quarum tamen, cum una tantum possit esse vera, reliquæ non aliud sint oportet quam conjecturæ. Quæ si in literali & patentiore sensu utiles esse possunt, in mystico certe, sub litera latente, & tam alte subinde recondito, non sunt improbandæ; hoc præsertim tempore, quo *ex parte tantum cognoscimus*, & *extremas solummodo viarum Dei oras* cernimus. Quemadmodum enim, si in explicatione literæ nihil licuisset in publicum proferre nisi quod certum atque indubitatum est, omnibus nunc in S. Scripturam Commentariis careremus, quando nullus fere scripturæ locus est, in cujus interpretatione non dissideant Interpretes; ita si indagando mysterio nihil tentare aut periclitari liceret, *thesauri illi omnes, in mysterio Patris & Christi*, h. e. in Scripturis V. & N. Testamenti, *absconditi*, nunquam fierent *manifesti*, contra promissum Servatoris Marc. IV: 22. Sed hac  
de

de re (qua Mosen meum Evang. excusandum putavi) in præfatione d. Libri plenius disserui. Coeterum, quid si nulla omnino mysticarum expositionum, tanquam commentitiarum & inanium, habenda est ratio? uti multis Viris, eruditione cœteroquin & iudicio pollentibus, stat sententia: Hoc si verum esset, ego essem commiseratione dignus, eo quod improbus labor meus cecidisset & casurus esset in irritum; quod non sperem: Quapropter, Venerande Vir, non indigne, ut opinor, feres, si, Te Arbitro, patrocinium (quod istiusmodi Expositionibus S. Scripturæ debeo) obiter suscipiam adversus Virorum illorum præjudicia. Facile enim Tibi fidem habeo scribenti: Viros aliquos *acris iudicii & insignis eruditionis, qui mysticis illis meditationibus non magnopere delectantur, Tibi auctores fuisse ut tales parcissime in Bibliotheca apparere faceres, nec mirum mihi illud accidit; Naturæ quippe consentaneum est quod illi, qui aliam Phyllida, Literam videlicet, & quæ circa eam versantur, Criticem & Philologiam, unice depereunt, Virginem hanc peregrinam, Allegoriam, quæ tot seculis in obscuro latuit, ut incognitam, nec adamatam, suo non dignentur adspectu, nedum amicitia. Sed alia quoque ratio est quæ fastidium ejus, propemodum universale, movit. Hæc videlicet, quod ipsi Reformatores, v. gr. Lutherus & Calvinus, turpem Pontificiorum in cudendis ineptissimis allegoriis licentiam abominati, recta in*

contrarium iverunt, ipsum earum usum, juxta cum abusu, proscribentes, quin eas insectantes, tanquam *illusiones Diabolicas*. Quid mirum, quod Reformatorum plerique horum vestigia prementes, atque etiam Viri profunde docti & judicio alioqui subactissimo præditi eorundem auctoritate commoti gravi præjudicatione adversus mysticas meditationes fuerint imbuti? Neque id factum reor absque providentia Dei. Quia tunc non erat tempus in abdita Scripturæ mysteria inquirendi, sed, his tantisper omissis, apertos veritatis hostes, sive illi essent Pontificii, sive homines novis sectis addicti, argumentis evidentibus, & ex ipsa litera petitis, debellandi & ad *εξεμυδιαν* adigendi. Nunc autem, confutatis abundanter erroribus, & asserta satis atque in tuto collocata veritate, opportunum est sapientiam Dei, in mysterio occultam, ex occulto in lucem proferre. Quapropter etiam Deus viros, non minus doctos & solertes, excitare incipit, & deinceps certo plures excitabit, qui omni nervorum contentione huic rei operam navent, præstentque nunc, impletis plerisque prophetiis, quod olim eis adhuc maximam partem obsignatis, præstare non potuere patres. Qui omnes propemodum animadverterunt quidem reconditum esse sub historiarum S. litera mysterium, sed, tot seculorum experientia, qua nos gaudemus, destituti, posthabita fere allegoria œconomica (quæ sola cunctis historiarum s. circumstan-


tiis apta nata est respondere) in morali (quæ  
 eis satisfacere non potest) substiterunt & eva-  
 nuerunt. Me quod attinet, si mihi, absque  
 suspitione *αὐθιγίας*, verum licet fateri, opinor  
 Deum T. O. M. me, non abs ratione, tum mi-  
 rum in modum à studio Juris, cum jam in eo  
 eram, ut fructus ejus meterem, avulsiſſe, a spe  
 honorum, quorum satis ampla mihi porta pa-  
 tebat, dejeciſſe, ab uxore, contra inclinatio-  
 nem & instinctum naturalem, prohibuisse, &  
 indito mihi tum ardenti mysteriorum ejus in-  
 vestigandorum studio, hæc mihi otia fecisse:  
 Sed eum in finem ut alios quoque magis aptos  
 instructosque, ad idem studium accenderem.  
 Quemadmodum ipse etiam, me forte incento-  
 re, nunc plures, me longe doctiores & perspi-  
 caciores (quod semper futurum præſagivi) eo-  
 dem trahit. Quod si viris illis, acerrimi licet  
 judicii & summæ eruditionis, vel pars eorum,  
 quæ mihi, per gratiam Dei, in allegoricis vide-  
 re datum est, (quanquam ea in minimis confi-  
 ſtant) innotuiſſet, non dubito quin ingenuè  
 mecum profiterentur historias tam Novi,  
 quam Veteris Testamenti non tantum esse  
 præteritorum relationes, sed simul etiam fu-  
 turorum prophetias. Quod ad gloriam Dei  
 & verbi ejus (de quo nihil augustum nimis co-  
 gitari potest) ingens addit momentum, cum  
 eo nihil decedat literæ, sed huic è contrario  
 indubitata divinitatis character accedat; quan-  
 do quidem præterita referre etiam in homines

cadit, sed eadem opera de futuris vaticinari hæc  
 divina duntaxat est ὑπεροχή. Quin certus sum  
 eos, si hoc considerarent, non dedignaturos  
 mysticis istiusmodi meditationibus mecum  
 vacare, aut saltem non indignaturos eas à me  
 aut ab aliis, etsi non ubique rem acu tetigerimus,  
 in medium adferri, insuper habito omnι τῶν  
 ἑμπικτῶν ludibrio, quibus has objectas esse scri-  
 bis. Hos Apostoli *extremis hisce diebus prædi-  
 xere venturos, ac prophetias de adventu Christi in  
 regnum suum (quibus etiam accensendæ sunt  
 historiæ S. allegoriæ) suis impetuituros irrisio-  
 nibus, eo quod, nec ad signa temporum, quæ in  
 prophetiis extant, nec ad vias, quas Deus in  
 mundo emensus est, attendentes, opinaturi sint  
 omnia eodem loco permansisse.* 2. Petr. 3: 3. 4. Jud.  
 v: 18. Cujus prædictionis memores nos esse ju-  
 bent, non ut irrisorum istarum formidine de  
 illo Christi adventu sileamus, sed ut, spretis il-  
 lis, nihilo segnius *adventum illum expectemus &  
 ad eum properemus.* 2. Petr. 3: 12. Quomodo  
 Apostolus Paulus, nullo irrisorum istiusmodi  
 metu commotus, non tantum *resurrectionem*  
 mortuorum libere prædicavit inter gentes.  
 Act. 17: 32. Sed etiam inter Judæos *conjugium*  
*Abrahami cum Hagare & Sara figuram rei majoris*  
*continere fidenter docuit, dicens, ἅπαντα ἐστὶν ἀλ-  
 ληγορέμενα.* Gal. 4: 24. Quod sane, si aliud  
 quidquam, in ludibrium vertissent Judæi, nisi  
*apud illos confessum fuisset in historiis illis, præter sen-  
 sum historicum, alium eminentiorem occultari, uti re-*

de Grotius. Quod & ipse Apostolus satis in-  
 dicat, cum ibidem v. 22. præmittit: *Qui sub le-  
 ge vultis esse non auditis legem?* h. e. non intelli-  
 gitis sensum historiarum Mosaicarum mysti-  
 cum, significans eos, qui allegorias legis, h. e.  
 historiarum Mosaicarum, non audirent, h. e.  
 non intelligerent, non intelligere legem. Qua-  
 propter Huetius Dem. Evang. Prop. 9. cap.  
 171. §. 7. ostendens, *quantopere in allegoriis  
 eruendis laborarint Judæi veteres, inter alia adfirmat.  
 Jam olim scitum fuisse inter ipsos omni scripturæ sen-  
 sum inesse utrumque פשוט עם אגודי* simplicem  
 cum occulto, unde dicti sint Agidici. Sicut & Cu-  
 næus de Rep. Hebr. L. 3: c. 8. allegat *vetus hoc  
 Judæorum dictum, nunquam Scriptura est absque  
 sensu simplici, sed habet pariter ut mysticum ita  
 simplicem: his duobus non est ut careat.* Quibus  
 ipse ibidem adstipulatur. At ludibrii istius  
 hæc justa videtur ratio, quam allegas, *quod  
 planissime, quæ in sacro Codice leguntur, narrationes,  
 in sensum allegoricum & peregrinum detorqueantur.*  
 Si hoc de literæ in allegoriam conversione in-  
 telligas, justissima hæc causa foret, non ludi-  
 brii tantum, sed etiam summæ indignationis;  
 quoniam talis conversio esset nefaria atque sa-  
 erilega. Sed, si loquere de studio allegoriam,  
 sub litera occultam, hac substrata & salva,  
 eruendi, in eo nullum erit a detorsione pericu-  
 lum, si in explicatione allegorica illæ observen-  
 tur regulæ, ad quas ego in mea Demonstr. Al-  
 leg. §. 15. eam dudum adstrinxi. Ubi ad hanc  
 ipsam

ipsam objectionem de ludibrio irrisorum, de-  
 que detorsione literæ, abunde respondi, atque  
 inter dictas regulas secundo loco hanc consti-  
 tui, *ut historie περιποισεις peræque omnes ad allego-  
 riam applicari queant, sine obtorsione aut violentia.*  
 Quas regulas Cel. Waeyenus in Variis sacris  
 suis allegare, & commendare, non sine elogio,  
 dignatus est. Demiror autem, Vir Celeberri-  
 me, quod scribas, *Te nihil facilius esse putare quam  
 talia producere illi, qui aliqua pollet ingenii, at-  
 que imaginationis facultate,* cum ego censeam  
 non minori opera ex profundo illo literæ  
 puteo verum mysterium, nullius sæpe aut  
 exigui ἀντλήματ<sup>ο</sup> ope, exhauriri, quam ex  
 fodinisaurum effoditur. Quanquam enim  
 non sit adeo difficile historias S. per promiscuam  
 accommodationem, ad spiritualia quævis  
 applicare, & quidlibet & quolibet trahere, lon-  
 ga tamen experientia magistra didici nihil esse  
 difficilius quam, secundum leges a me præscri-  
 ptas, mysticum historiarum S. intellectum,  
 qui cum omnibus circumstantiis consentiat, &  
 vim ac virtutem singulorum verborum ex-  
 pleat, quærere & invenire, ac, si fieri possit,  
 clave, in ipsa scriptura alicubi reperta, clau-  
 strum literæ recludere, si minus, omnes saltem  
 verborum omnium translationes ex analogia  
 Scripturæ illustrare. Atque eam difficulta-  
 tem indagandi S. annalium allegorias, junctam  
 cum ingenti illa meditationum contentione,  
 ad hoc necessaria, in causa esse arbitror, quod

plerique non tantum allegoriarum quaestio-  
nem, sed ipsam quoque earum lectionem  
(nam & hæc non modicam attentionem re-  
quirit) defugiant, quin oculos, præjudicatio-  
ne præstrictos, claudant, ne quid mysteriorum  
illorum videant. Ignosce mihi, Vir Amicis-  
sime, quod tam libere apud Te, id quod sentio,  
sine ulla dissimulatione, depromam; quoniam,  
si illud dissimularem, conscientiaæ meæ, de re  
ipsa plene persuasæ, vim facerem; &  
*quæ sequuntur.*



VII.

Relatio de disputatione

Ministerii Goslariensis cum *Chri-*  
*stophoro OSTORODO* & eius matre, e codice

MS. emendata a C. A.

HEUMANNO.

**H**Abent sua ἀπαξ λεγόμενα grammati-  
ci: habent & historici sua ἀπαξ γε-  
φόμενα, quæ non debent pro fabulis  
reiici, nisi aliis de causis suspecta sit  
narrantis fides, vel narratio ipsa  
unum alterumque contineat falsi indicium.  
Inter illa ἀπαξ γεφόμενα referenda est relatio  
*Joannis Lezneri* de *Ostorodo*, Sociniano notissi-  
mo, quam a *B. Dransfeldio*, meo in præfectura  
Gymnasii Gottingensis antecessore, secum ex  
autographo communicatam primus publica-  
vit

vit insertam *Antiquitatibus suis Goslariensibus*,  
 A. 1707. editis, Jo. Michaël Heineccius, Theolo-  
 giæ Doctor celeberrimus & longo jam tempo-  
 re Antistes Halensis. Fuit quidem, qui narra-  
 tionem istam reiiceret tanquam scriptum sub-  
 dititium: sed Heineccius temerarii illius iudi-  
 cis obiectiunculas erudite & abunde confuta-  
 vit Operis modo laudati libro sexto p. 519. sq.  
 De *Lezneri* quidem summa fide ac diligentia in  
 describendis antiquitatibus Saxoniae inferioris  
 nemo dubitat, nisi qui plane non novit *Lezne-*  
*rum*: cuius memoriam non ita pridem hono-  
 rifice renovavit Venerabilis Abbas *Fabricius* in  
 Tomo III. *Historiae Bibliothecæ suæ* p. 43. sq. &  
 ante eum Cl. Vir, Joach. Meierus, J. V. D. &  
 Gymn. Gotting. Prof. in Præfatione ad *Anti-*  
*quitates Plessenses* A. 1713. editas. Ego qui-  
 dem, qui MS. relationem, & vidi, & accuratis-  
 sime describendam curavi, nullus dubito,  
 (nec *Dransfeldius*, idoneus, si quisquam, huius  
 rei arbiter, dubitavit,) quin ea sit ipsius *Lezne-*  
*ri* manu perscripta, adeoque hoc sit *αὐτοῦ γράφον*  
*eius*. Cæterum cum animadverterem, Apo-  
 graphum illud, quo *Heineccio* uti licuit, non  
 fuisse omni ex parte accurate confectum, de  
 historiae ecclesiasticæ cultoribus non male me-  
 riturum me confisus sum, si ex editione *Hei-*  
*necciana* omnes tollerem mendas, interdum  
 satis graves. Itaque *Heineccianam* editionem  
 cum autographo diligentissime comparavi, ef-  
 fecique, ut ubique iam verus incorruptusque

*Leznerus* cum posteritate loquatur. Illud vero etiam scire volo lectores meos, non studuisse me facta collatione emendare scriptum Ministerii Goslariensis anti-Socinianum, quod ex eodem codice MS. exhibuit *Heineccius* p. 529.-539. Nam dogmatico hoc scripto facile carere poteramus, habentes & ampliora & meliora; historico illo non item. Denique ipsi *Heineccio*, quem virum ob eximia in rem literariam merita iam dudum colo maiorem in modum, ac Theologis πολυμαθέταίς nostri ævi summo suo merito adiungo, me gratum fecisse spero, qui monumentum rarissimæ notæ, ab ipso primo in lucem editum, suæ sanitati & integritati restituerim fideliter. Tandem docendi sunt lectores, *Leznerianum* illud autographum esse nunc in manu filii B. *Dransfeldii* Gottingæ, præmissum *tertiæ Parti Chronici MS. Lezneriani Brunsvico-Luneburgensis*, quod ipsum *Chronicon* intra breve tempus typis descriptum iri, non ita pridem spes facta fuit a non-nemine.

En igitur emendationes ad HEINECCIVM:  
 P. 522. Omissum hic est *Lezneri Exordium* ita fluens: *Droben ist unterschiedliche mahl Herrn Henninges Osterodes gedacht, dass er zu Goslar, erstlich in der Marckt-Kirche, darnach zu St. Stephan, das Wort Gottes rein und klar gelehret, und endlich unvermögich und alt worden, auch daselbst verstorben. Weil aber er mit seinem Weibe zweene Söhne erzeuget, und diesel-*  
 bige

bige in Polen kommen, und nicht allein einen fast wunderbahrlichen Glauben angenommen, sondern sich auch anderweit tauffen lassen, auch noch über das wieder gen Goslar A. C. 1586. kommen, und daselbst ihre Mutter auch in denselbigen Schwarm bracht, daher dann zu Goslar die Prediger nicht geringe Mühe und Arbeit gehabt, in Meinung, sie wiederum zum rechten seligmachenden Erkänntnis zu bringen: Haben aber eitele vergebliche Mühe und Arbeit angewandt. Dieweil aber über dem, fast seltsahme und überaus wunderbarliche Reden fürgefallen, habe ich für nöthig erachtet, die gantze Tractation, und was in denen gehaltenen Colloquiis fürgefallen, um der Nachkommen vullen zu beschreiben. Und als die Prediger &c.

P. ead. lin. 6. gerühmet. MS. geraunet. Est vox obsoleta, Lutheri tamen etate adhuc publici usus, quippe qui ea usus est in interpretatione Psalmi quadragesimi primi, octavo commate sic fluente: Alle, die mich bassen, raunen mit einander vvider mich, &c. Sæpius etiam in Arndii vvahrem Christenthum Lib. III. cap. 15. usurpatur vox einraunen, hoc est, insusurrare, suggerere.

-- lin 7. A. 1585. MS. A. 1586.

P. 523. col. b, lin. 5. der Gottheit. MS. Der Gottheit Christi.

-- lin. 14. es bielten. In MS. defunt duo hæc verba.

-- lin. 35. gemacht. Adde ex MS. vvird auch nach ihm keiner gemachet.

P. 525. col. b, lin. 2. *vergnügent*. MS. *vermögend*.  
(*id est, reich*.)

-- lin. 7. *und das halten vvir, vwie die Einsetzung Christi*. MS. *Und das halten vvir die Einsetzung Christi*.

P. 526. *omissa sunt hæc Lezneri post: in alle Ewigkeit, Amen! & ante: Dievveil die Herren Prediger &c. Hæc, inquam, interserenda sunt ex MS. Nach diesem hat man im selben Jahre des ersten Sontages nach Trinitatis, vvar der 7. Junii, mit obgedachten Christophers Osteroders Mutter, so auch in obgedachten Schwvarm gerathen und kommen war, das andere Colloquium gehalten. Und solches ist mit folgenden Worten angefangen.*

P. 526. col. 1. lin. 43. *sie hätte sich nicht verführen lassen*. In MS. *errore haud dubio omissum est* *τὸ nicht*.

Pag. ead. col. 2. lin. 44. *Es stünde nicht in der Schrift*. MS. *es stünde in der Schrift*.

P. 527. col. 1. lin. 3. *allezeit*. MS. *albereit*.

-- -- lin. 11, *mein Blut*. Hic adde ex MS. *Resp. Mercket, wie Christus redet: Nehmet, esset. Darnach sprach er: Das ist mein Leib, der morgens für euch gegeben wird. Dann wie solte er ihnen seinen Leib geben, mit welchem er bey ihnen sass? wie konten seine Jünger davon etwas nehmen und essen? Und also berichtete sie auch von seinem heiligen Blute. Darauff antworteten ihr die Prædicanten: Da stünden die klaren Worte Christi: Nehmet hin und esset, das ist*

- ist mein Leib, nehmet hin und trincket, das ist mein Blut. Resp. *Ich will euch sagen, &c.* Pag. ead. col. 1. lin. 23. *Gott anruffe.* MS. *Christum anruffe.*
- col. 2. lin. 8. *wieder seinen Anhang.* MS. *wieder Arrium und seinen Anhang.*
- P. 528. col. 1. lin. 24. *nach dem Geist.* Hæc tria verba omissa sunt in MS.
- -- lin. 55. *fürgegeben.* MS. *fürgeschrieben.*
- col. 2. lin. 37. *ein Brodt geniessen, oder Glieder am Leibe Christi seyn.* MS. *ein Brodt oder Glieder &c.*
- P. 529. col. 1. lin. 7. *Gottes-Kirchen.* MS. *Götzen-Kirchen.*
- -- lin. 38. *wir Menschen.* MS. *wie Menschen.*
- -- lin. 47. *erst lernen.* MS. *erst lehren.*
- -- lin. 48. *gelehrt.* MS. *gelernet.*
- -- lin. 59. *euer Hertz.* MS. *eure Herten.*
- P. 526. (NB. Hic errore typhotæ iterum exhibetur numerus p. 526. 527. 528. 529..) lin. 9. *Ja es freuen sich auch alle über eure Tugend, welche seyn in Christi Glauben, Hofnung, Liebe, Beständigkeit für allen Heiligen. Dafs auch Gott &c. depravatissima est hæc scriptura, ita corrigenda ex MS. Ja es freuen sich auch über alle eure Tugenden, welche seyn in Christo, Glauben, Hoffnung, Liebe, Beständigkeit, Demuth, alle Heiligen Christi, dafs auch Gott &c.*
- lin. 18. *wohnet und.* MS. *wohnend.*
- lin. 20. *wieder.* MS. *wird.*
- lin. 21. *gerichtet.* MS. *hanc vocem non habet.*
- lin. 22. *niederschlagen.* MS. *vvieder schlagen.*
- lin.

- lin. 30. *dafs vvir auch.* MS. *deffen vvir auch.*
- P. 527. lin. 12. Domaredoin. MS. Domaredzin.
- lin. 29. Venerabilis. MS. Venerabiles.
- lin. 31. Ostorodus. MS. Ostorodius.
- lin. 32. narrabant. MS. narrarunt.
- lin. 39. afferat. MS. affereret.
- lin. 45. infantium baptismum minime probet. MS. infantium baptismum nec Christi nec Apostolorum institutum esse dicat, eumque ut verum baptismum minime probet.
- lin. 47. & inconsultis. MS. aut inconsultis.
- lin. 48. MS. verisimile.
- P. 528. lin. 1. cui. MS. cuiquam.
- lin. 4. multis hæreticis. MS. nullis hæreticis.
- lin. 6. vobiscum. MS. nobiscum.
- ltn. 7. universi. MS. universo.
- lin. 11. publicum religionis. MS. publicumque suæ religionis.
- lin. 21. dubito. MS. dubio.
- lin. 29. ipse. MS. ipseque.
- lin. 29. Christi. MS. Christo
- -- 13. Sept. MS. 23. Sept.
- lin. 34. Cræoviensis. MS. Cracoviensis.
- -- Orgénte. MS. Orgentle.
- lin. 36. MS. Johannes Laurentius Katzenverslin a Biberstein. (*Heineccius ex una persona fecit duas.*)

Q U A E S T I O.

Quid ציפור ו ציפורי significent Pl. LXXXIV: 4?

